Johannes Hutloff

De Menandri Epitrepontibus

DE MENANDRI EPITREPONTIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA KILIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES ADIPISCENDOS

SCRIPSIT

JOHANNES HUTLOFF
BRANDENBURGENSIS

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE)
TYPOGRAPHUS UNIVERSITATIS
MDCCCCXIII

Referent: Prof. Dr. Sudhaus.

Tag der mündlichen Prüfung: 24. Februar 1912.

Zum Druck genehmigt:

Kiel, den 29. Juli 1913.

Dr. Dieterici,
z. Z. Dekan.

PARENTIBUS OPTIMIS

Disputatiunculae meae pauca praefanda sunt. cum enim ante multos menses de Epitrepontum argumento scripsissem, factum est, ut nonnulla, quae protuleram ab aliis occuparentur maximeque a duumviris de Menandri fabulis egregie meritis comoediaeque admodum peritis, a Carolo inquam Roberto et Alfredo Koerte, non pauca in contrariam partem disputarentur argumentisque confirmarentur haud spernendis. itaque cum iam desperarem, paullatim tamen quae contra dici possent, circumspiciebam. quare permulta iam mutare coactus sum, non pauca resecare, nonnulla etiam addere. verum tamen cum res ipsa gravissima esset atque de toto argumento comoediae Menandreae ageretur, nunc quoque quae haberem, licet exigua per se, commode proferri posse putabam.

Ex fabulis Menandreis in Aegypto nuper repertis omnium optime conservata est illa, quae Ἐπιτρέποντες inscribitur. quamquam enim huius quoque comoediae detrimenta non exigua facta esse dolemus, tamen partes scaenasque continuas habemus et in universum argumentum restitui posse videbatur. verum enim vero novis fragmentis nuper repertis novae difficultates oboriebantur novisque quaestionibus opus erat. non minus autem quam papyri Cairenses fragmentum illud Petropolitanum in controversia versatur. namque postquam J. van Leeuwen[1]) primus alteram paginam Epitrepontum initio inseruit, animi virorum doctorum ad vehementissimas disputationes accensi sunt, utrum membranae illae Epitrepontibus adiudicandae essent necne. duas autem sententias interpretum post Leeuwenium prolatas statuimus: alteri ut Croisetus[2]), Cappsius[3]), Sudhausius[4]) fragmentum Petropolitanum huic comoediae Menandreae addicunt, at alterius auctores sententiae velut Humpers[5]), Robertus[6]), Koertius[7]) confidenter illis reluctati fragmentum ab Epitrepontibus segregatum per se interpretandum nec huiusce fabulae esse censent. atque in primis Koertius denuo in praefatione pulchrae editionis, quam nuper iterum edidit locupletatam, fragmentum Petro-

---

1) ed. II, p. 16.

2) Revue des études grecques 1908, p. 294 sqq.

3) American journal of philol. XXIX, p. 410 sqq.; XX, p. 25 sqq. Four plays of Menander 1910, p. 34 sqq.

4) Hermes 1913, p. 14 sqq.

5) Musée Belge 1910, p. 345 sqq.

6) Sitz.-Ber. der Kgl. Preuß. Akademie der Wiss. 1912, p. 404.

7) Menandrea 1912, p. XXI sqq.

politanum nullo modo Epitrepontibus inculcari posse quovis pignore spondet sententiam suam argumentis tam gravibus confirmans, ut interpretes ea praeterire non possint.

In fragmento autem Petropolitano interpretando maximi est momenti, quo modo et inter quas personas singuli versus fragmenti distribuendi sint. cum autem haud facilis sit diiudicatio illa, indicia, si qua in membranis ipsis exstant, gravissima ac magni ponderis sunt. atque eorum, qui fragmentum illud ediderunt[1]), Koertius quidem de paginis illis bene meritus est, quod sagacissime et feliciter partes inter singulas personas distribuebat tabulasque phototypicas diligenter perscrutatus omnes fere litteras, quantum fieri poterat, legebat atque enotabat. cum autem fallacia sint ea, quae in phototypiis apparent, vir ille doctus reliquias illas penitus non exhausit atque nonnulla eum effugerunt. ipse postquam liberalitate curatorum legati Schassiani Kiliensis occasio in Russiam proficiscendi mihi data est, schedas Petropolitanas ipsas denuo inspexi atque mihi contigit, ut nonnulla etiam nunc deprehenderem, quae hic proponam. cum autem lectiones iam a Jernstedtio, Koertio aliisque repertas iterum afferre inutile sit, locos tantum illos, ubi a viris illis dissentio, enotabo.

1 Post vocem *οἶνον* punctum conspicitur (*ἄνω στιγμή*), spatium autem inter verba *οἶνον* et *αὐτό* relictum non est.

2 Exstat in charta ΕΓΩΓ'ΕΥΠΕΡ. quamquam apostrophus addita est, tamen litteram *ε* esse deletam non animadverti.

5 Versus quintus quin sit dirimendus post vocabulum *ἑαυτόν*, sicut flagitat sententia rerumque nexus, iam dubitari non potest. nam praeter paragraphum versus initio positam, quam iam Koertius enotavit, etiam puncta illa geminata (:) post *ἑαυτόν* dispexi.

---

[1]) de schedarum Petropolitanarum historia cf. Koertii edit. II p. LIV sqq. — de prima scheda, quae Phasmatis versus continet, infra disputabitur.

In margine sinistro vestigia quaedam litterarum ex- 6
stare videntur. apparet enim hasta transversa et supra
eam frustulum caudatum perspexi. praeterea spatio exiguo
interiecto hasta etiam directa et punctillum conspiciuntur;
sed certam litterarum formam agnoscere non potui. reli-
quiae enim illae praebent hanc speciem ⁷/ı . quae fru-
stula atramento scripta sunt eodem atque litterae versus
sexti. quid signis illis indicetur, nescio. de significatione
autem personae, quae versu sexto loquitur, vix cogitandum
est. nam illius sermo a verbis τοῦτ᾽ ἐγώ (v. 5) incipit et
personae nomen, si esset adscriptum, in margine dextro (v. 5),
quantum quidem scribarum usum novimus, locum haberet.

In versu septimo verba ἔρωτα et τί δέ μοι spatio satis 7
magno distant. puncta quidem geminata non inveni —
servatum est unum — sed ex spatio illo magno inter ἔρωτα
et τί δέ μοι relicto atque e paragrapho versus initio posita
elucere mihi videtur scribam hunc versum uni personae
continuare noluisse atque me iudice verba τί δέ μοι τοῦτο
novae personae attribuenda sunt, id quod verborum etiam
sententia probari infra demonstrabitur.

In margine sinistro, sicut in v. 6, frustula quaedam 8
obscura tamquam CMI deprehendi, quorum formam depinxi
ita CIII. prima hasta paululum est curvata, omnes autem
charta hoc loco laesa dimidiatae sunt et superior tantum
pars earum servata est.

Huius versus initio paragraphum quamvis tenuem sub 11
littera τ (τῆς) valde detrita dispexi. praeterea medio versu
post δίδωσι punctum — ab altera manu — positum est atque
sicut in v. 7 spatium inter verba δίδωσι et δώδεκα vacat.
quare interlocutoris verba incipiunt inde a voce δώδεκα,
atque membranae indiciis confirmatur id, quod ex ipsa
verborum sententia apparebat. in margine autem dextro
personae nomen adscriptum esse videtur. hasta enim trans-
versa \ invenitur, quae a littera X non abhorrere videtur.
atramentum quidem detritum est, sed ductus est conspicuus.
cum autem illa chartae pars attrita sit admodum, de hac
re certum proferre non possum iudicium.

12 Interlocutoris sermo, qui incipit a voce *δώδεκα* (v. 11), finem habet in v. 12, nam post *πράγματα* (v. 12) inveniuntur puncta geminata, quae ab altera manu posita sunt. initium autem huius versus in membrana servatum est ita:

. . . . . ΤΑΚ' ΙΒωϹ

14 Puncta geminata post vocabulum *ἡμέρας* ab altera manu addita sunt.

15 Initio huius versus lacuna est sex maxime litterarum; etiam verisimilius est quinque tantum litteras deesse, cum versuum initio litterae grandes exstare et laxius exaratae esse soleant. servatum autem est hoc in versu ΝΤ, deinde conspicitur hasta directa, quae cum littera Τ praecedente ligatura est coniuncta hoc modo ΝΤΙ i. e. *ν τ ι*, nam metri causa vocalis postulatur brevis. lacuna autem unius fere litterae interposita leguntur litterae Γ ω i. e. voce *πεινῶντι* sequente *τω* vel *τωι*, nam *ι* adscriptum scriba neglegere solet (cf. v. 2 *ἀπιστία* v. 10 *πορνοβόσκω*). sed litteras Ι et Τ lacunam illam plane non explere moneo et verisimile est spatium exiguum inter ΝΤΙ et Τω esse relictum. post litteras autem ΠΕΙΝωΝ litterarum seriem vides, quarum hastae transversae primo obtutu unam lineam efficere videntur, sed accuratius chartam inspiciens singulas litteras facile discernes. praebent enim illae hastae hanc speciem ΝΤΠΠΤΙϹ. litterae Ν et Τ et Ι inter sese sunt ligatae. deinde apparent duae hastae directae, quae spatio satis magno distant quaeque inter se et cum praecedente littera Ι ligatura sunt coniunctae. sed hastae illae non eandem habent altitudinem atque litterae ΝΤΙ, quae praecedunt, et litterae Τ Ι, quae sequuntur. itaque litteram Π facile dignoscis, quae eiusdem fere formae est atque Π in vocabulo *απιστια* (v. 3) et *προικα* (v. 8). post Τ Ι autem inveniuntur reliquiae litterae rotundae huius formae C i. e. *Θ* vel C, nam litterae Ε et *Ο* praecedente littera Ι excluduntur. in fine huius versus exstat ΠΟΤΕ. ante hanc autem vocem Cappsius et Koertius legerunt litteram *С*, sed phototypia viros illos fefellit atque litteram rotundam in charta non

exstitisse spondeo; nam frustula, quae supersunt, ad litteram Ν quadrare apparet. directae enim hastae superiorem partem ante Π certe dispexi. quae hasta cum littera Π sequente ligata est. praeterea inveni supra lineam parvulum hastae vestigium. litteram Ν autem exstitisse e membranae fissura[1]) paene certe elucere mihi videtur. hoc enim loco folium abscissum est ita ⲚⲠⲞⲦⲈ. itaque litterae Ν forma perspicua est. inter ΠΤΙϹ̣ et Ν̣ΠΟΤΕ lacuna trium litterarum interest, litterarum autem reliquias deprehendere non potui. quae cum ita sint, vocabulum *πτισάνην*, quod suppleverunt Gomperzius et Sudhausius, cum litteris bene convenit, atque spatium etiam inter *πτισ* et *νποτε* litteris *ανη* egregie sufficit. denique commemorandum est puncta geminata post *ποτε* ab altera manu addita esse. habes igitur v. 15 servatum ita:

. . . . . ΝΤΙΤѠΠΕΙΝѠΝΤΙΠΤΙϹ̣ . . . Ν̣ΠΟΤΕ:

Huius versus hasce habemus reliquias: 16

. . . . . . Ο̣ϹϹ̣ . ΠΡΟϹΜΕΝ̣ΕΙΧΑΙΡϹ̣

litterae autem ΠΡΟϹΜΕΝΕΙΧΑΙΡϹ̣ scriptae sunt continuae neque punctum aut spatium ne exiguum quidem inter ΠΡΟϹΜΕΝΕΙ et ΧΑΙΡϹ̣ in charta perspexi. vidimus autem scribam — quantum quidem ex tam parvo numero versuum misere laceratorum concludi potest — novae personae sermonem aut novam verborum periodum vel punctis vel spatiis inter singula verba positis indicare. cum autem nihil eius modi in v. 16 animadvertamus, pro certo est habendum versum illum nullo pacto dirimi posse, sicut Koertius aliique volunt, qui inde a voce ΧΑΙΡϹ̣ novam personam loquentem faciunt, sed indicia, quae membrana ipsa praebet, secuti facere non possumus, quin uni eidemque personae versum attribuamus totum. itaque Wilamowitzii[2]) et Koertii[3]) lectio teneri non potest; contra

[1]) Tales fissurae saepe sequuntur litterarum iamiam evanidarum vestigia nec neglegendae omnino sunt.

[2]) *ἀλλά τίς.*

[3]) *χαῖρ' ἀλλά τίς.*

Cappsii coniectura, qui Chaerestrati nomen feliciter supplevit, probabilitatem habet maximam, atque versus ille, cuius initium Koertius Charisii inducens nomen evidenter sanavit, emendandus esse ita videtur:

Χαρίσι]ός σ[ε] προσμένει, Χαιρέ[στρατε.

17 Hic versus in membrana exstat ita:

...... ΠΙ. ΓΛΥΚΥΤΑΤΕ. ΟΤΗCΙ........ ΤΗΡ

versus initio desunt sex fere litterae. quam lacunam Wilamowitzii lectionem *ὅδ' ἐσ]τί* non explere apparet. post litteras ΟΤΗC hasta directa conspicua est; ante litteras autem ΤΗΡ charta est abscissa ita, ut hasta huius formae \ i. e. Α agnoscatur.

18 Post litteras ΤΙC litterae rotundae frustulum deprehendi: ΤΙCc. cum autem membrana hoc loco fissa sit ita, ut hastam directam exstitisse suspiceris, perverisimile est post C scriptam esse litteram *Φ* (*φιλόσοφος* Wilamowitz).

20 In v. 20 Jernstedtius, qui 22 annis ante hunc locum examinabat, litteras *σαν γυναικα* certo legit. nunc autem multa membranae fragilitate evanuerunt, sed reliquiae huius versus, quae exstant, cum litteris illis, quas agnovit Jernstedtius plane conveniunt. fragmenta autem v. 20 depinxi hoc modo:

ΓΛΝΙΓΥΝΛΙΚΛ ········Ι

Koertius autem ante *γυναῖκα* legit *Δ Δ*, sed duabus litteris spatium non sufficit, praeterea vestigia illa hastarum ad Ν potius quadrare videntur. post *γυναῖκα* autem octo litterae desunt, deinde servata est hasta directa, quae cum littera praecedente ligata erat.

Paginae aversae (II^{v}) margo sinister abscissus est et versuum initia perierunt. quamquam autem hoc folium rescriptum est litteris Syriacis et atramentum plerumque est detritum, tamen omnes fere litterae satis certe legi possunt.

24 Initio septem fere litterae desunt. ante *οὐκ* autem spatium unius fere litterae vacat neque hoc loco, quam-

quam haec chartae pars laesa non est, litterarum vestigia indagare potui. cum autem spatium ante *οὐκ* a scriba relictum sit, suspicor senis furibundi sermonem a verbis *οὐκ εἰς κόρακας* initium cepisse, verba autem *μὴ λέγε* (v. 23) et initium v. 24, quae editores praeter Wilamowitzium seni attribuere solent, adulescenti esse continuanda censeo hoc modo:

adulescens. *οὕτως ἀγα]θόν τί σοι γένοιτο, μὴ λέγε*
.... senex: *οὐκ εἰς κόρακας; οἰμώξει μακρά.*

Littera T, quae initio (*τα*) exstat, cum praecedente
littera, ligatura erat coniuncta. 26
Koertii lectio T]ΡΟΠΟΝ probabilissima est. (ΙΟΠΟΝ
Capps, ΤΟΠΟΝ Jernstedt.) superiorem enim partem hastae, 27
quae in charta conspicua est, fuisse rotundam e membranae
fissura apparet.
Inter *φράσω]μεν* et *οἷον* spatium permagnum inter-
iectum est. interpunctionem autem agnoscere non potui, 29
cum illius spatii magna pars littera Syriaca obtecta sit.
sed spatio illo satis certe indicari mihi videtur v. 29 inter
duas personas esse distribuendum, ut inde a voce *οἷον* alterius
personae sermo incipiat.
Ante TON hastam transversam conspexi: \TON i. e.
ατον. Sudhausii autem lectioni *ἀκατάστα]τον*, cum versus 30
initio praeter litteram illam Α quinque litterae desint,
spatium non sufficit, contra litterae *ἀνάστα]τον*, quas supple-
vit Kock, Koertio negante cum spatio illo bene conveniunt.
versus autem quomodo dirimendus sit punctis geminatis
indicatur, quae post TON apparent.
Litterae C, quam dubitanter enotavit Koertius, vestigia
dispicere non potui. ante M autem (*μίαν*) spatium non 31
exiguum vacat atque punctum etiam invenitur. simile
autem spatium et punctum animadverti post *ἐφεξῆς*. itaque
alteri personae verba *μίαν μὲν τὴν ἐφεξῆς*, alteri verba *τὴν
ἐμὴν* danda sunt.
De v. 36 sqq. nonnulla praefari necesse est. huius
chartae pars inferior valde est lacerata et praeter nonnullas 36

litteras, quae medio in v. 36 leguntur, initia tantum versuum (v. 36—39) in folio II^{v} servata sunt. cum autem illa chartae pars, quae continebat v. 36 sqq., cum lacinia tertiae schedae esset conglutinata, factum est, ut primae litterae v. 36 sqq., quae exaratae sunt in folio II^{v}, sinistro margine chartae III^{r} inprimerentur et in hoc folio tamquam in speculo legantur. bis igitur servata sunt initia v. 36—39; contra v. 40 et v. 41, quorum vestigia in folio II^{v} habemus nulla, non exstant nisi in margine chartae III^{r}. atramentum quidem in folio II^{v} valde est detritum, sed litterarum ductus satis perspicuus est. versus autem illos perscrutatus litterarum reliquias dispexi et depinxi hasce: in folio II^{v}

v. 36 ЄΤΙ v. 37 ΟΙΟΜ v. 38 ΚΑΙΤ v. 39 ⌒^Γ

in folio III^{r}

ЄΤΤΙ ΟΙΟΜ ΚΑΙΤΟΊ ΟΔЄϹΠ·:

36 Si frustula, quae in folio II^{v} exstant, cum reliquiis, quae in folio III^{r} leguntur, conferas, vix dubites, quin litterae *επι* in versus 36 initio scriptae sint. praeter litteras illas *επι* medio in versu certe leguntur litterae ΊΑΝΤΑΤΑΝϹ i. e. *πάντα τὰνϑ[ρώπων*, sicut acute et feliciter supplevit Jernstedtius.

37 Post litteras ΟΙΟΜ Koertius in folio III^{r} litteram Α se dispicere putabat. sed vir ille doctus phototypia deceptus est; nam post litteram Μ (*οιομ*) in charta III^{r} nihil legitur nec legi potest, quoniam parva lacinia alius folii hoc loco chartae III^{r} inhaeret.

38 Huius versus initio Koertius post ΚΑΙΤΟ enotavit litteram Υ, sed Υ in charta non exstitisse spondeo. certo enim agnovi post Ο (*καιτο*) hastam directam et exiguo spatio interiecto hastam etiam transversam deprehendi huius formae ΤΟΊ\. quae vestigia ab littera Υ plane abhorrere vides. contra reliquiae illae ad litteram Π quadrare mihi videntur.

39 Post ΔЄϹΠ inveniuntur tria punctilla ita disposita, ut litteram rotundam exstitisse veri sit simillimum.

Itaque versus illos (v. 36—41) habes servatos ita:

36 ϵΠΙ ΠΑΝΤΑΤΑΝΘ
ΟΙΟΜ
ΚΑΙΤΟ[Π̣
ΟΔϵϹΠΟ̣
40 ΟΓϵΡΩ
ΟΥΔϵΛΟ̣

Quos versus restituere conatus est Jernstedtius. atque feliciter ille supplevit v. 36 hoc modo:

ἐπι[σφαλῆ μὲν] πάντα τἀνθ[ρώπων. . . .

contra fr. 581, quod vir ille doctus v. 37 sqq. inseruit quodque omnium fere interpretum opinione hoc loco fertur, in fragmento Petropolitano nullo pacto locum habere potest. versuum enim initia fragmenti 581 et litterae, quae in membrana exstant, inter sese non congruunt. nam Stobaeus (ecl. 19, 34 Hen.) Menandri illa verba (fr. 581) affert ita:

Μενάνδρου·

ἐμοὶ πόλις ἐστὶ καὶ καταφυγὴ καὶ νόμος
καὶ τοῦ δικαίου τοῦ τ' ἀδίκου παντὸς κριτὴς
ὁ δεσπότης, πρὸς τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν ἐμέ.

Jernstedtius autem *οἶμαι* inserens v. 37 sqq. supplevit hoc modo:

ἐμοί,
οἶμαι, πόλις ἐστὶ καὶ καταφυγὴ καὶ νόμος
κ. τ. λ.

neque magni momenti esset vocabulum illud *οἶμαι,* quod inculcavit Jernstedtius; nam Stobaeum, ut versus citet plenos, interdum verba resecare notum est nec miraremur Stobaeum hac de causa ex illis etiam versibus vocem *οἶμαι* removisse. sed in charta servatum est *οιομ* i. e. participii *οἰόμ[ενος* forma, Jernstedtius autem *οἶμαι* inserens membranae lectionem corrigere coactus est. hic igitur versus cum fragmento 581 non consentit. sed etiam v. 38, qui sequitur, fragmento 381 omnino repugnat. fragmenti enim alter versus incipit a verbis *καὶ τοῦ.* in charta quoque litterae

και το agnoscuntur, sed litteram, quae sequitur, Υ non fuisse mihi concedet, quicumque membranam inspiciet. itaque fieri non potest, ut in membrana suppleatur *καὶ τοῦ*. restat igitur unus versus 40, cuius primae litterae ΟΔΕϹΠỌ, quae in charta exstant, cum litteris *ὁ δεσπότης* (fr. 581 v. 3) congruunt. sed litterae ΟΔΕϹΠỌ solae non sufficiunt[1]), ut Jernstedtii coniecturam stabiliant, praesertim cum fragmenti 581 sententia tam communis sit. itaque fr. 581 fragmento Petropolitano esse denegandum censeo.

Denique nonnulla de v. 42 sqq. dicenda sunt. quorum versuum primae litterae pulchre exaratae in folio III[r] exstant.

42 Post litteram Ν conspiciuntur fragmenta litterae rotundae. veri autem est similius litteram Є scriptam esse quam Ο. deinde iterum litterae rotundae reliquiae inveniuntur et lacuna unius vel duarum litterarum interposita apparet hasta directa.

44 Littera Χ post vocem *ἐδεῖτο* certe agnoscitur.

47 Post litteras ΚΑΤΑΤΟΑ conspicua est hasta directa, quae infra lineam est producta. itaque Ρ potius quam Υ (Koerte) exstitisse mihi videtur. sed etiam infra v. 47 agnovi litteras, quae Jernstedtium Koertiumque effugisse videntur. nam in v. 48 infra litteras ΤΟΑ (v. 47) legi ΚΟṚ et in v. 49 haec hastarum vestigia inveni ẠΙẠ vel ṆẠ. habes igitur haec:

42 *νεσ̣̣̣*
ἕως ἐλα
ἐδεῖτο χ
45 *ἄπωθεν*
τούτωι τι
κατὰ τὸ ἀ
. . . . κορ̣
. . . . ν̣α̣

---

[1]) praeterea nonnulla, quae ad sententiam fr. 581 pertinent, afferri possunt, sed de hac re loco magis idoneo infra disputabitur.

In lacinia illa, quae cum folio III^r conglutinata huic chartae inhaeret, Koertius[1]) legit

ΩΡΓΙCΤΑΙ
Δ̣ЄΥ

supra vocem *ὤργισται* autem inveniuntur litterae dimitiatae huius formae  i. e. fortasse.

ε̣ῖ̣ε̣ν̣ ε̣ν̣ι̣ν̣

In folio III^v, quae pagina impleta est litteris Syriacis, praeter Λ̣ΡΑ et ΟΝΩC, quas litteras indagavit Koertius[2]), litteras Graecas non dispexi.

Iam priusquam argumentum, sicut possumus, explanemus atque ad disputationem accingamur, fragmentum illud Petropolitanum integrum nos afferre necesse est, quia post Koertii editionem novae lectiones emendationesque accesserunt, quae huic scaenae novam lucem attulerunt.

Α. [*πίνει δὲ πολυτελέστατον*
ἄνθρωπος οἶνον· αὐτὸ τοῦτ' ἐκπλήτ[τομαι
ἔγωγ'. ὑπὲρ ⟨δὲ⟩ τοῦ μεθύσκε⟨σ⟩θ' οὐ λέγω·
ἀπιστίᾳ(?) γὰρ ἐσθ' ὅμοιον τοῦτό γε,
εἰ καὶ βιάζεται κοτύλην τις τοὐβολ̣[οῦ
ὠνούμενος πίνειν ἑαυτόν. Χ. τοῦτ' ἐγ̣[ώ
προσέμενον· οὗτος ἐμπεσὼν διασκ̣[εδᾷ
τὸν ἔρωτα. Α. τί δέ μοι τοῦτο; πάλιν οἰμώ[ξεται.
προῖκα δὲ λαβὼν τάλαντα τέτταρ' ἀργύρ[ου
οὐ τῆς γυναικὸς νενόμιχ' αὑτὸν οἰκέτ[ην·
ἀπόκοιτός ἐστι, πορνοβόσκῳ δώδεκα
τῆς ἡμέρας δραχμὰς δίδωσι — Χ. δώδεκα·
πέπυσ]τ' ἀκ[ρ̣]ι̣βῶς οὑτοσὶ τὰ πράγματα.

---

[1]) cf. ed. II p. 145 adnot.

[2]) cf. ed. II p. 145 adnot.

1. suppl. Cob. 2. *δὲ* ins. Cob. 3. *ἀπιστίᾳ* mem., fort. *ἀλογιστίᾳ* — *ἀπληστίᾳ* Wil. 4. suppl. Wil. 5. suppl. Cob. 6. suppl. Cob. 7. suppl. Wil. *οἰμωζέτω* Koert. 9. suppl. Cob. 12. *πέπυστ'* Leeuw. *ἐπίστατ'* Cob. *ἀκριβῶς* Cob.

Α. μηνὸ]ς δια[τ]ροφὴν ἀνδρὶ καὶ πρὸς ἡμερῶν
ἕξ. *Χ.* εὖ] λελ[όγ]ισται· δύ' ὀβολοὺς τῆς ἡμέρας,
ἱκανό]ν τι τῷ πεινῶντι ⟨πρὸς⟩ πτισ[άνη]ν ποτέ.
Β. Χαρίσι]ός σ[ε] προσμένει, Χαιρέ[στρατε. —
τίς ὅδ' ἔσ]τι δ[ή], γλυκύταθ'; *Χ.* ὁ τῆς ν[ύμφης π]ατήρ.
Β. τί γὰρ παθ]ὼν ὡς ἄθλιός τις [φιλόσοφος
βλέπει σκυθρώφ' ὁ [τρισκακοδα[ίμων; *Χ.* ψάλ]τριαν
— — — — — σαν γυναῖκα . . . . ι
— — — — — — — — — — — ιο ι
— — — — — — — — — — — — ς

versus fere 10 deesse verisimile est.

οὕτως ἀγα]θόν τί σοι γένοιτο, μὴ λέγε
μηδὲν σύγ'.] *Α.* οὐκ εἰς κόρακας; οἰμώξει μακρά.
ἀλλ' εἶμι ν]ῦν εἴσω, σαφῶς τε πυθόμενος,
ὅπως ἔχει] τὰ τῆς θυγατρός, βουλεύσομαι,
ὅντινα τ]ρόπον πρὸς τοῦτον ἤδη προσβαλῶ.
Χ. φράσωμ]εν αὐτῷ τοῦτον ἥκοντ' ἐνθάδε;
Β. φράσω]μεν. *Χ.* οἷον κίναδος οἰκίαν ποεῖ
ἀνάστ]ατον. *Β.* πολλὰς ἐβουλόμην ἅμα.
Χ. πολλάς; *Β.* μίαν μὲν τὴν ἐφεξῆς. *Χ.* τὴν ἐμήν;
Β. τὴν σ]ήν γ'. — ἴωμεν δεῦρο πρὸς Χαρίσιον.
Χ. ἴωμ]εν, ὡς καὶ μειρακυλλίων ὄχλος
εἰς τ]ὸν τόπον τις ἔρχεθ' ὑποβεβρεγμέν[ων,
οἷς μ[ή] 'νοχλεῖν εὔκαιρον εἶν[α]ί μο[ι δοκεῖ.

— [χο]ρ[οῦ.] —

13. *μηνός* Sud. *εἰς διατροφήν* Cob. *ἀλλ' εἰς διατροφήν* Koert. *προσ-ημερων* mem. **14.** *ἕξ. εὖ* Sud. *πᾶς τις* Wil. *λελόγισται* Cob. **15.** *ἱκανόν τι* Wil. *πρός* ins. Sud. *τελεῖν· τί ἐγὼ πεινῶντι δὴ πτισάνην ποτέ* Gomp. **16.** *Χαρίσιός σε* Koert. *χαιρς* mem. *Χαιρέστρατε* Capps. *χαῖρε* Koert. *ἀλλὰ τίς* Wil. **17.** suppl. Jernst. *ὁ τῆς νύμφης πατήρ* Kock. **18.** *τί οὖν* Koert. *τί δὴ παθών* Wil. *φιλόσοφος* Wil. **19.** *βλέπει σκυθρώφ'* Wil. *ὁ τρισκακοδαίμων ψάλτριαν* Jernst. **23.** suppl. Kock. **24.** *μηδὲν σύγ'* Leeuw. **25.** suppl. Jernst. **26.** suppl. Koert. **27.** suppl. Leeuw. *ποῖον τρόπον* Kock. **28.** suppl. Koert. *εἴπωμεν* Leeuw. **29.** suppl. Jernst. **30.** suppl. Kock. **31.—34.** suppl. Jernst. **35.** *οἷς μὴ 'νοχλεῖν* Kock. *ἦ μὴν ἐνοχλεῖν* Jernst. *εἶναί μοι* Jernst. *χοροῦ* suppl. Leo· **36.** suppl. Jernst.

servus *ἐπι[σφαλῆ μὲν] πάντα τἀνθ[ρώπων . . .*
οἰόμ[ενος
καὶ το[π
ὁ δεσπό[της
ὁ γέρω[ν
οὐδὲ λο

Quibus praemissis ad interpretandum fragmentum Petropolitanum transgrediamur. in scaena versantur Chaerestratus quidam et senex, qui de dissoluta vita generi, cui nomen est Charisius (v. 32), certior factus est. Charisius enim non solum cum sodalibus helluatur, sed etiam ab uxore se segregavit (v. 10) et dotem illius dilacerans lenoni magnam pecuniam cotidie pro fidicina, quam ad se recepit, solvit. (v. 10 sq.) quo nuntio accepto socer ille iratus ad Charisii aedes profectus est, ut statum rerum accuratius comperiret generique nefandam vitam inhiberet. ille autem in scaenam progressus, quae animum movent, soliloquio promit et generi vinolentiam conquestus haec secum verba facit:

[πίνει δὲ πολυτελέστατον
ἄνθρωπος οἶνον· αὐτὸ τοῦτ' ἐκπλήτ[τομαι
ἔγωγ'. ὑπὲρ ⟨δὲ⟩ τοῦ μεθύσκε⟨σ⟩θ' οὐ λέγω·
ἀπιστίᾳ[1]) *γάρ ἐσθ' ὅμοιον τοῦτό γε,*
εἰ καὶ βιάζεται κοτύλην τις τοὐβολ[οῦ
ὠνούμενος πίνειν ἑαυτόν.

Sequuntur verba interlocutoris (Chaerestrati), qui senis soliloquium auscultat. is cum non ignoret indolem soceri, talia se exspectavisse dicit et veritus, ne repentino et subito adventu soceri morosi convivium amoresque adulescentium perturbentur, secum loquitur haec:

---

[1]) in membrana traditum est *ἀπιστίᾳ* (v. 3) i. e. ‚de vinolentia non loquor, incredibilitati enim id est simile'. istud autem vocabulum corruptum esse suspicatus Wilamowitzius *ἀπιστίᾳ* correxit et proponit *ἀπληστίᾳ* i. e. insatiabili cupiditati simile. sed haec coniectura nondum satisfacere videtur. nam senem dicere exspectamus: ‚insaniae, apoplexiae, dementiae id est simile'. quae si est sententia, *ἀποπληξίᾳ* vel *ἀγνωσίᾳ* vel *ἀλογιστίᾳ γάρ ἐσθ' ὅμοιον* aptius sit.

τοῦτ' ἐγ[ὼ
προσέμενον· οὗτος ἐμπεσὼν διασκ[εδᾷ
τὸν ἔρωτα.

post *ἔρωτα* autem Chaerestrati sermo finitus est, verba enim quae sequuntur, *τί δέ μοι τοῦτο; πάλιν οἰμώ[ξεται* propter paragraphum in versus initio positam et spatium inter *ἔρωτα* et *τί δέ μοι τοῦτο* interiectum alteri personae i. e. seni esse adiudicanda supra explicavimus. et re vera illud, quod ex membranae indiciis solis concludere licebat, ipsa sententia confirmatur. Koertius enim omnes illos versus (v. 5—7) uni personae addicit et lenonem loqui censet. sed fieri non posse puto, ut leno veritus, ne amores perturbentur, dicat *τί δέ μοι τοῦτο;* ,quid hoc ad me?' immo, lenonis magnopere interest senem convivio non supervenire, nam convivio perturbato ille magna pecunia, quam adulescens in fidicina conducenda cotidie ei solvit (v. 10 sq.), privaretur. sed etiam Chaerestratus verba illa vix facere potest, quoniam ille Charisii convivio et amoribus quodammodo timere videtur. sin autem membranarum indicia sequimur et seni verba illa damus, vide modo, quam bene haec ad socerum quadrent. ille enim, qui brevi ante generi vinolentiam conquestus *ὑπὲρ δὲ τοῦ μεθύσκεσθ' οὐ λέγω* dixit, nunc eandem sententiam aliis verbis iterum exprimit hoc modo: ,de vinolentia non loquor, nam id insaniae simile est. quamquam quid hoc ad me? abeat in malam crucem. sed enim dotem quattuor talentorum, quam accepit, bonus ille gener uxorem neglegens effundit ac lacerat.' socer enim, ut est sordidus, non curat generi vinolentiam, sed id illum anxium habet, quod Charisius dotem uxoris, suam sibi percaram pecuniam dissipat. verbis igitur *τί δέ μοι τοῦτο; πάλιν οἰμώξεται* interiectis et ea pars soliloquii, quae est de generi vinolentia, finitur, et novus verborum circuitus novaque sententia in senis sermone indicatur. cum autem socer dicat *πάλιν οἰμώξεται,* e vocabulo *πάλιν* liquet socerum in priore parte soliloquii, quae periit, simili occasione data eodem modo generum exsecratum esse atque veri est simillimum, quod

iam Sudhausius[1]) coniecit, senem, qui in v. 1 sqq. vinolentiam generi conqueritur, antea epularum etiam luxuriam increpuisse. et re vera tale aliquid servatum esse videtur. nam fragmentum quintum vix dubitari potest quin seni potius moroso quam coquo[2]) dandum sit. queritur enim senex ille, quod gener, homo validus et sucosus, negotia non curet, rei non operam det. status eius peior et miserior esse videtur quam febrientis, quod sanus frustra duplices dapes edit[3]).

> *ἀργὸς ὑγιαίνων τοῦ πυρέττοντος πολὺ*
> *ἔστ' ἀθλιώτερος, μάτην γοῦν ἐσθίει*
> *διπλάσια.*[4])

quae quidem Sudhausii coniectura, si vera est, omnis illa de fragmento Petropolitano iam diiudicata lis est. nec vero caret illa probabilitate; nam si illud fragmentum (fr. V), quod Stobaeo[5]) teste *Ἐπιτρεπόντων* est, et fragmentum Petropolitanum ex eadem soceri sermocinatione desumpta sunt, iam elucet tripertitum fuisse senis soliloquium: increpat ille primum epularum luxuriam (fr. V), deinde vinolentiam (v. 1—5), denique dotis effusionem in meretricula conducenda (v. 8—11). simillimum est tertium fragmentum, quod huic fortasse orationi inserendum censeas quodque exstat apud medicum Caelium Aurelianum (de morbis acutis 3, 15 = fr. 959 K.): comicus Menander inducens senem irascentem istius passionis (sc. hydrophobiae) imaginem vinolentis adscripsit dicens non posse (suaviter?) bibere eos, qui vinum usque ad vexationem potant. cf. (*εἰ καὶ βιάζεται — πίνειν ἑαυτόν*). verumtamen ipsa similitudo tanta est, ut de simili potius oratione cogitandum

[1]) cf. Sudh. l. l. p. 26.

[2]) cf. Koert. p. 42: a coquo dicta . . ., ni fallor.

[3]) quae verba latine vertit Ausonius (XXIII 4, p. 422 Peiper) ita:
sanus piger febriente multo est nequior,
potat duplum dapesque duplices devorat.

[4]) *διπλάσια γοῦν ἐσθίει μάτην* codd. quae scite disposuit Wilamowitzius.

[5]) cf. Stob. flor. 30, 7. *Μενάνδρου Ἐπιτρεπόντων· ἀργὸς . . . . διπλάσια.*

sit. hoc saltem lucrati sumus, ut videremus, qualis fere decursus illius soliloquii fuerit.

Sed iam redeamus ad fragmentum nostrum. socer ille ita de generi vita certior factus est, ut singula noverit; etiam compertum habet, quot nummos Charisius lenoni cotidie solvat; (v. 10) itaque Chaerestratus, qui auscultat, secum loquitur (v. 11):

δώδεκα·
πέπυσ]τ' ἀκ[ρι]βῶς οὑτοσὶ τὰ πράγματα.

versus autem, qui sequuntur, valde mutilatos et adhuc obscuros evidenter emendavit Sudhausius (l. l. p. 25 sq.). socer enim ille in v. 10 dixit:

πορνοβόσκῳ δώδεκα
τῆς ἡμέρας δραχμὰς δίδωσι

verbis autem Chaerestrati interiectis senex loqui pergit:

μηνὸ]ς διατροφὴν ἀνδρὶ καὶ πρὸς ἡμερῶν
ἕξ. Εὖ] λελόγισται· δύ' ὀβολοὺς τῆς ἡμέρας.

Horum autem versuum sententia haec esse videtur: ‚recte computavit, duos obolos cotidie, quae summa sufficiebat esurionibus istis ante saeculum, cum homines duobus obolis tisanam emere poterant, quod vile pulmentum tempore illo antiquo et casco victui fere sufficiebat.‘ cum autem ille, qui loquitur, non sine irrisione quadam verba faciat, fieri non potest, ut haec senex ille sordidus loquatur, sed Chaerestrato potius auscultanti v. 14 sq. dabimus cum Sudhausio versus inter senem et Chaerestratum distribuentes hoc modo:

v. 10 sen. *ἀπόκοιτός ἐστι, πορνοβόσκῳ δώδεκα*
τῆς ἡμέρας δραχμὰς δίδωσι — Chaer. *δώδεκα·*
πέπυστ' ἀκριβῶς οὑτοσὶ τὰ πράγματα.
sen. *μηνὸ]ς διατροφὴν ἀνδρὶ καὶ πρὸς ἡμερῶν*
ἕξ. Chaer. *εὖ] λελόγισται· δύ' ὀβολοὺς τῆς ἡμέρας,*
ἱκανό]ν[1]) *τι τῷ πεινῶντι ⟨πρὸς⟩ πτισ[άνη]ν ποτέ.*

Sene autem generi luxuriam conquerente et Chaerestrato auscultante in v. 16 nova persona progreditur, quae

---

[1]) suppl. Wil.

ex aedibus, in quibus Charisius convivatur, proruens primoque Chaerestratum solum conspiciens compellat sic:

Χαρίσι]ός σε προσμένει, Χαιρέ[στρατε[1]).

Deinde senem etiam astantem animadvertit, stupet interrogatque Chaerestratum, quis sit ille senex (v. 17)

τίς ὅδ' ἐσ]τὶ δ[ή][2]), *γλυκύταθ';*

novam autem illam personam, cum Chaerestratum amice et familiariter *γλυκύτατε* adloquatur, Chaerestrati amicum esse iudicamus. qui quidem amicus soceri tristem vultum conspiciens causam quaerit sollicitudinis. Chaerestratus autem, qui omnia, quae ad Charisium familiamque eius pertinent, penitus novit, explicare illi videtur, cur socer huc advenerit. (v. 17 sqq.)

17 amic. *τίς ὅδ' ἐσ[τὶ*[3]) *δ[ή], γλυκύταθ';* Chaer. *ὁ τῆς ν[ύμ-φης π]ατήρ.*
amic. *τί γὰρ παθ]ὼν ὡς ἄθλιός τις [φιλόσοφος]*
βλέπει σκυθρωπ' ὁ]τρισκακοδα[ίμων; Chaer. *ψάλ]τριαν*
— — — — — — — *σαν γυναῖκα . . . . ι*
— — — — — — — — — — — — — *ιοι*
— — — — — — — — — — — — — — *ς*

post v. 22 decem fere versus desunt. ex verbis autem (v. 23 sq.)

οὕτως ἀγα]θόν τί σοι γένοιτο, μὴ λέγε
μηδὲν σύ γ'.][4])

concludere licet Chaerestratum et amicum eius socerum adisse et senis furibundi animum mitigare socerumque generi aedes intraturum nescio quibus causis retinere conatos esse. sed frustra illi hanc operam susceperunt, nam senex in alterum aspere invectus intro in Charisii generi aedes ad filiam abit (v. 24 sqq.) haec vociferans:

[1]) cf. supra p. 11 sq.

[2]) suppl. Jernst.

[3]) de singulis supplementis vide supra p. 18.

[4]) vel quidquid exstitit initio v. 24; admodum enim incertum est supplementum Leeuwenii, possis explere *τοιαῦτα γ', τοιοῦτον, αὐτῇ τόδ'* v. sim.

οὐκ εἰς κόρακας; οἰμώξει μακρά. —
ἀλλ' εἶμι ν]ῦν εἴσω, σαφῶς τε πυθόμενος,
ὅπως ἔχει] τὰ τῆς θυγατρός, βουλεύσομαι
ὅντινα τ]ρόπον πρὸς τοῦτον ἤδη προσβαλῶ.

postquam senex discessit, Chaerestratus et amicus eius alter cum altero collocutus in scaena restant. cuius dialogi verba, si recte inter utrumque distribuuntur, non parvi sunt momenti; de Chaerestrati enim persona, moribus, indole certiores fimus.

28 Chaer. φράσωμ]εν αὐτῷ τοῦτον ἥκοντ' ἐνθάδε;
amic. φράσω]μεν. Chaer. οἷον κίναδος οἰκίαν ποεῖ
ἀνάστ]ατον. amic. πολλὰς ἐβουλόμην ἅμα.
Chaer. πολλάς;] amic. μίαν μὲν τὴν ἐφεξῆς. Chaer. τὴν ἐμήν;
amic. τὴν σ]ήν γ'.

dubitari enim non potest, quin ille, qui senis furibundi tumultuosam irruptionem in Charisii aedes irridens socerum cum cinaedo comparat, sit Chaerestratus. diversa enim ndole amicos illos esse apparet. nam Chaerestrato Charisii socer morosus invisus est et ille soceri soliloquium auscultans secumque locutus sordes et avaritiam eius irridet senemque quasi rusticum et obsoletum non sine superbia quadam despicit (v. 14). a Charisii autem partibus Chaerestratus stare et adulescentis luxuriosae vitae favere videtur, nam illi timens veretur, ne adulescentis amores conviviumque soceri adventu perturbentur (v. 6). contra illum alterum amicum ita moratum esse volebat, opinor, poeta, ut contrarias partes susciperet et Charisium luxuriantem et adhuc integrum a vita illa dissoluta retineret potius et fortasse castigaret, quod ita se habere infra demonstrabitur. itaque hic lepide Chaerestrati verba in eum ipsum vertens optat, ut Chaerestrati, non Charisii aedes perturbentur atque evertantur. sed cur amicus ille Chaerestrato male precatur et quo spectant ridicula illa verba? ut hoc dispiciamus, de rebus scaenicis pauca dicenda sunt.

Amicus ille Chaerestratum adlocutus dicit (v. 31) *μίαν μὲν τὴν ἐφεξῆς* (sc. *οἰκίαν*). quibus e verbis certe elucet praeter Charisii aedes etiam Chaerestrati domum in scaena esse et Chaerestratum Charisii esse vicinum proximumque. quae cum ita sint, non miramur, quod Chaerestratus penitus novit, quae ad Charisium vicinum familiamque eius attinent; socer adulescentis illi notus est, ille non ignorat, quae in Charisii finitimis aedibus gerantur.

Charisius autem ille, qui in fragmento Petropolitano commemoratur, in aedibus suis non versatur, sed adulescens ab uxore segregatus (*ἀπόκοιτός ἐστι* v. 10) alibi cum amicis fidicinaque debacchatur. itaque socerum, qui ad filiam i. e. Charisii uxorem in generi aedes abiit (v. 25), aedes suas intrasse scire non potest, et hac de causa Chaerestratus ille et amicus eius Charisium de soceri adventu certiorem faciunt (v. 28). ubi autem Charisius convivaeque eius versentur, in fragmento non commemoratur. sed nescio an id expiscari possimus. Chaerestratum enim Charisii dissolutae vitae favere supra suspicati eramus. quae si ita sunt, nonne fieri potest, ut Charisius in vicinas aedes Chaerestrati se transtulerit, sicut suspicata est J. Kapp[1])? namque hoc neque novum neque inusitatum est in comoediis magisque comprobatur, quod similis rerum status in Plauti fabula, quae inscribitur Mercator, invenitur. habemus enim in illa fabula duos vicinos amicosque; alter, cui nomen est Demipho, amore Pasicompsae flagrat. ut autem amorem uxorem filiumque celet, Demipho ille orat Lysimachum amicum finitimumque, ut virginem clam omnes emat et amicae locum in aedibus suis (i. e. Lysimachi) praebeat (v. 542). Lysimachus autem amico obsecutus veterem amatorem mulierculamque suis aedibus ad se recipit, Demipho autem coquum conducit (v. 578), ut in vicinis aedibus Lysimachi cum amico et muliercula illa prandeat. sicut in Mercatore alter vicinus alteri officium praestat, ita in fragmento Petropolitano Chaerestratum Charisio operam dedisse eique suas aedes

[1]) cf. Herm. vol. 47 (1912), p. 318.

aperuisse probabilissimum atque paene certum est. nam ita si res se habet, verba alterius personae, quae optat, ut Chaerestrati aedes evertantur, vivida fiunt et pondus accipiunt (v. 29):

Chaer. senex ille sicut cinaedus[1]) aedes perturbat. amic. multas, velim, perturbet. Chaer. multas? amic. e. g. eas, quae proximae sunt. Chaer. meas? amic. ita, tuas.

Itaque Chaerestratum vituperat amicus ille neque probat, quod Charisii flagitiosae illi vitae favens adulescentem aedibus ad se recepit.

Quod si recte statuimus, Chaerestratus ille, qui in fragmento Petropolitano verba facit, non solum Charisii vicinus sed etiam amicus et aequalis est, sicut in Mercatore Eutychus ille adulescens[2]). binae autem adhuc aedes in scaena conspiciuntur, alterae Chaerestrati, alterae Charisii. in Chaerestrati autem sodalis finitimas aedes Charisius cum fidicina se transtulit ibique cum amicis convivatur, contra in adulescentis ipsius aedibus Charisii uxor a marito segregata habitat et in has generi aedes socer iratus, postquam Charisii sodales senem retinere frustra conati sunt, ad filiam intro abit (v. 27). postquam autem senex tumultuose in Charisii aedes irrupit, Chaerestratus et alter ille Charisii sodalis ante Charisii aedes restant, deinde in Chaerestrati aedes ad Charisium abeunt, ut sodali socerum advenisse referant (v. 32 sqq.):

ἴωμεν δεῦρο πρὸς Χαρίσιον

,eamus huc versus ad Charisium', et hoc dicens manu domum illam alteram adulescens monstrat, quae iuxta domum Charisii est, ante cuius ianuam amici astant.

Nota autem *χοροῦ* post v. 35 agnita fragmentum actus finem praebere manifestum est. primum autem actum ali-

[1]) verba illa Petronii sat. c. 21. 23. illustrantur. sicut cinaedus ille, homo spurcus et omnibus molestus, familiares inquinat aedesque, quas irrumpit, funditus perturbat ac magno cum strepitu personat, ita socer multis conviciis generum lacerans in Charisii aedibus adhuc silentibus tumultuatur. cf. Sudhaus, l. l. p. 26.

[2]) cf. Merc. v. 745. tuus amicus et sodalis simul vicinus proximus.

cuius fabulae fragmento Petropolitano finiri Leo[1]), quem secutus est Skutschius, et in primis Bethius[2]) demonstrasse mihi videntur. oriendum enim est ab his versibus (v. 33 sqq.):

ἴωμ]εν, ὡς καὶ μειρακυλλίων ὄχλος
εἰς τ]ὸν τόπον τις ἔρχεθ' ὑποβεβρεγμέν[ων,
οἷς] μ[ὴ] 'νοχλεῖν εὔκαιρον εἶν[α]ί μο[ι δοκεῖ.

eadem fere verba in Alex. fr. 107 K et Peric. v. 71 sqq. leguntur: personae, quae in scaena versantur, abeunt, quod turba ebriorum adulescentium appropinquat. scaena vacua est, chorus progreditur. in Circumtonsa autem verbis eius modi chori parodum nuntiari i. e. primum actum finiri certe scimus. itaque in maxima verborum consensione dubitare vix possumus, quin sicut in Circumtonsa ita in fragmento Petropolitano verbis illis sollemnibus (v. 33—35) chori parodus indicetur et fragmentum primi actus finem praebeat.

Postquam fragmentum Petropolitanum interpretati sumus, necessarium nobis imponitur officium, ut quaeramus, utrum fragmentum illud Menandri Epitrepontibus inserendum sit necne. magna enim communio affinitasque est fragmento cum Menandrea fabula illa atque etiam illi viri docti, qui velut Robertus Koertiusque fragmentum Epitrepontibus inseri non posse contendunt, in fragmento non pauca inesse concedunt, quae cum rerum condicione, qualis est in Menandrea comoedia, valde congruant. habemus enim easdem personas, eadem nomina, idem argumentum. nam et in fabula et in fragmento Charisius adulescens uxorem neglegit, fidicinam ad se recipit, cum sodalibus scortoque potat. praeterea in fragmento progreditur socer morosus avidusque, qui Smicrinis quasi gemellus est, et ille sicut Smicrines generum multis conviciis obruens acerbissimeque generi nefandam vitam conquestus se in adulescentem vindicaturum esse minatur. uterque autem socer

[1]) cf. Herm. vol. 43 (1908), p. 308.

[2]) Der Chor bei Menander. Berichte der phil.-histor. Klasse der Kgl. Sächs. Ges. der Wiss. zu Leipzig, Bd. 40 (1908) p. 209.

ante generi aedes astans Charisii in convivas[1]) incidit et cum generi sodalibus colloquitur. in fragmento autem Petropolitano alteri amico, quocum socer colloquitur, nomen esse Chaerestratum veri simillimum est, atque in Epitrepontibus idem nomen invenimus. nam in fr. YR (v. 427) Smicrines cum Chaerestrato quodam — de hac persona infra disputabimus — convenit. denique res etiam scaenicae fragmenti Epitrepontum vel eaedem vel similes sunt. Charisii enim Chaerestratique aedes et in fragmento (cf. supra p. 25 sq.) et in comoedia ipsa (v. 160) conspiciuntur. praeterea statuendum est utrumque socerum domicilium habere a genero remotum. in urbe enim Smicrinem domum habere ibique habitare apertum ac manifestum est. nam senem ex urbe ad Charisii aedes proficisci atque posthac in urbem esse rediturum ex Smicrinis verbis (v. 531 sqq.) certe elucet. ille enim Sophronam vehementissime increpans minatur se mulierculam in palude mersurum esse, si domum reversuri sint.

οἴκαδε
ἀπιών — τὸ τέλμ' ⟨ε⟩ἶδες παριοῦσ'; — ἐνταῦθά σε
τὴν νύκτα βαπτίζων ὅλην ἀποκτενῶ.

neque aliter res se habet in fragmento Petropolitano. ille quoque socer ibi, ubi Charisius gener domicilium habet (i. e. in scaena) non habitat, sed senex ille de generi luxuria, dissipatione, vinolentia ab alio quodam certior factus rumoribusque adductus domo — putes ex urbe — ad generi aedes advenit Charisiique domum intrat, ut ipse praesens rerum statum percontetur et accuratius comperiat, quae gesta sint (v. 25). notam autem C̣ṂỊ (i. e. CMIKPINHC) versui 8 praescriptam (cf. supra p. 9) de industria tam diu neglegam, quoad aliorum testium oculis lectio illa — certa, opinor — comprobata erit, quae etiam in imaginibus photographicis dilucide apparet.

---

[1]) cf. Robert l. l. p. 430: „Zwei Freunde des Charisios . . . treten auch in dem Fragment auf.“

Sed plura accedunt et veri fit similius fragmentum Petropolitanum ad hanc ipsam pertinere comoediam. nam etiam argumenta illa, quibus Koertius contrarium evincere studet (cf. praef. p. XXIII), removeri possunt atque iam Sudhausius (l. l. p. 25) multa refutavit eaque, quae Koertium offendunt, illustravit. sed videamus singula.

Ambiguum Koertio est, num Charisius ille, qui in fragmento Petropolitano (v. 32) commemoratur, et gener ille in Epitrepontibus, cui idem nomen est, una eademque persona sit. hoc enim discrimen statuendum esse illi persuasum est: (praef. p. XXIII) ‚Charisius Epitrepontum divitis patris filius est (v. 161 sq.), Charisius Petropolitani fragmenti omnia uxori debet (v. 8 sqq.)'. Charisii patrem istum, quem Koertius aliique in fabula partes agentem faciunt, hic praeterire licet, nam infra de hac persona dicendum erit; notandum autem est aut rem familiarem diversam esse aut dotem alterius utrius generi nullo verbo significari. in fragmento Petropolitano socer ille dotis effusionem conqueritur his verbis (v. 8 sq.):

προῖκα δὲ λαβὼν τάλαντα τέτταρ' ἀργύρου
οὐ τῆς γυναικὸς νενόμιχ' αὑτόν οἰκέτην.

sed etiam in fabula ipsa Charisius ille luxuriosus omnes sumptus ex uxoris dote praebet, si quidem Smicrini fidem habemus, qui unus de re familiari verba facit. Smicrines enim doti timens filiam domum secum reducere et hoc modo quam maximam partem pecuniae servare constituit, priusquam gener dotem plane dissipaverit, et Smicrines, quoniam senex ipse pecuniam, quam Charisius effundit, Pamphilae filiae doti dedit, Pamphilae dotem ridicule suam dotem appellat. (v. 525 sqq.)

ἀλλ' ἢ περιμένω καταφαγεῖν τὴν προῖκά μου
τὸν χρηστὸν αὐτῆς ἄνδρα; καὶ λόγους λέγω
περὶ τῶν ἐμαυτοῦ; ταῦτα συμπείθεις με σύ;

uterque igitur gener et in fragmento et in fabula non suam pecuniam, sed uxoris dotem, quam a socero accepit, in fidicina conducenda dissipat.

Sed videamus cetera. ‚in Epitrepontibus, inquit Koertius, Charisius fidicinam emit‘, quod iam a Sudhausio refutatum est (l. l. p. 25). nam non solum ex coqui verbis ὁ νῦν ἔχων τὴν Ἀβρότονον τὴν ψάλτριαν (fr. 1) paene certum est mulierculam emptam non esse, sed etiam Abrotonum ipsa id confirmat his verbis (v. 219 sqq.):

τάλας
οὗτος· τί τοσοῦτον ἀργύριον ἀπολλύει;

i. e. ‚cur ille me conducens tantam ⟨cotidie⟩ pecuniam dissipat‘. neque enim quicquam Charisius perderet, si ancillam emisset paucisque diebus abstinens illa non frueretur. is demum multam pecuniam frustra impendet, qui cotidie pecuniam persolvens amittit pretium cotidie. illa autem fidicinae verba[1]) perbene illustrantur fragmento Petropolitano. hic quoque adulescens magnam pecuniam, duodecim drachmas, lenoni cotidie solvit (v. 10)

πορνοβόσκῳ δώδεκα
τῆς ἡμέρας δραχμὰς δίδωσι

Praeterea contra Koertii sententiam Onesimi verba (v. 322 sq.) afferri possunt. ille enim opinatur Charisium fidicinam, si pro infantis matre habeatur, extemplo redempturum esse

ἐκεῖνο δ' οὐ λέγεις, ὅτι
ἐλευθέρα γίνῃ σύ. τοῦ γὰρ παιδίου
μητέρα σε νομίσας λύσετ' εὐθὺς δηλαδή.

λύσεται autem est ‚in libertatem vindicabit‘[2]). Abrotonum igitur sperabat Charisium amore incensum[3]) se libertate donaturum esse.

[1]) cf. Sud., l. l. p. 25.

[2]) cf. e. g. Antiphanis fr. 239 K ἐλύσατο πορνίδιον, Dem. 48, 53. ἑταίραν δὲ λυσάμενος. Plat. Menex. 243 c.

[3]) velut in Aristophanis Vespis Philocleon, qui cum convivis aedes, ubi cenaverunt, reliquit, tibicinam conductam adloquitur his verbis:
(v. 1352 sq.) ἐγώ σ', ἐπειδὰν οὑμὸς υἱὸς ἀποθάνῃ,
λυσάμενος ἕξω παλλακήν, ὦ χοιρίον.

Sed ,in fragmento Petropolitano, inquit Robertus, Charisii sodales senem illum irrident, contra in Epitrepontibus adulescentes cum Smicrine non sine verecundia quadam colloqui videntur'[1]). hoc autem argumentum non magni esse ponderis puto. atque primum contra Robertum statuimus in fragmento non utrumque amicum senem irridere, sed alter solus, quem esse Chaerestratum putamus, in socerum ioculatur. praeterea Chaerestratus verba illa ridicula ita facit, ut senex ipse verba non audiat, cum in v. 5. 11. adulescens ille secum loquatur, in v. 29 autem senex, quia in generi aedes abiit, in scaena non adsit. ubi ipsum adierunt, serio cum illo egisse videntur: contrarium certe demonstrari non potest, quod illi versus deperditi sunt. ludos autem iocosque eius modi in Epitrepontibus — fr. Y R dico — non inveniri Roberto concedo, quamquam pagina illa valde est mutilata neque ex singulis litteris, quae exstant, de amicorum sermone certa concludere possumus. progressa enim est fabula et rerum condicio interea commutata est. Charisius enim spurii filii pater repertus est. itaque Smicrini constat filiam secum reducere generumque in ius vocare[2]). postquam autem res in serium versa est, adulescentium pristinam illam petulantiam et lasciviam esse repressam sermonemque eorum esse alium et rerum statui accomodatum consentaneum est; Charisium enim a soceri conviciis defendere, sodalem excusare, senis irati animum mitigare, socerum a consilio revocare conantur. quae cum ita sint, illos, qui periculum a Charisio deprecari sodalique veniam a socero impetrare student, non cum irrisione et superbia cum Smicrine colloqui, sed senem non sine observantia quadam atque obsequio adire unicuique persuasum esse putaverim.

Simili autem modo redargui possunt haec: senex ille furibundus, quem in fragmento Petropolitano Charisii so-

[1]) cf. l. l. p. 431a: „In dem Fragment machen sich die jungen Lebemänner über den alten Herrn lustig; Simmias und sein Freund behandeln Smikrines offenbar mit einem gewissen vertraulichen Respekt.“

[2]) cf. v. 409, 425 sq. Smicrines amicos antestatur (cf. Sud. l. l. 19 sq.).

dales adeunt, aspere et morose eos effugit et magnopere illos increpans vehementerque in alterum invectus ad filiam intro abit. contra Smicrines, quamquam generi delicto audito furit et tumultuatur, tamen cum Charisii amicis satis diu colloquitur, ea, quae illi Charisium excusantes afferunt, audit suamque sententiam explicat. itaque Smicrinis naturam et soceri illius indolem inter sese discrepare videntur. sed ista est commutatio potius consilii, non animi, quae posita est in rerum condicione permutata. reputandum enim est hoc: Smicrines, postquam ex amicorum colloquio, comperit Charisio spurium filium e meretricula esse natum[1]), generi consortes illos adloquitur, antestatur, sententiam suam explicat, ea, quae ab altera parte contra dicuntur, audit, plura opponit, ut causa hoc modo penitus cognita generum in ius vocare possit. cum illorum testimonio uti Smicrinis intersit, homo callidus et vafer illis aures praebet. at in fragmento Petropolitano socer, qui nuntio de generi dissoluta vita accepto ad Charisii aedes propere profectus est, id solum spectare videtur, ut quam primum rerum statum, qualis re vera sit, percontetur et comperiat, num ea, quae de genero sibi sint allata, vera sint. (v. 25) itaque amici, qui socerum festinantem adloquuntur et hoc modo retardant, seni properanti sunt molesti neque mirum est, quod ille morae impatiens generi convivis breviter respondet eosque increpat.

Nova autem neque exigua difficultas oboriri videtur. in fragmento enim Petropolitano adulescentis socer unum quidque fere de generi vita luxuriosa comperit; namque non solum de generi dissipatione vinolentiaque audivit, sed etiam illud novit, quot nummos Charisius lenoni pro fidicina cotidie solvat. itaque socer ille summa ira inflammatus advenit et tumultuose generi aedes irrumpit. at Smicrines placidus, otiosus, nullis, ut videtur, curis occupatus in prima scaena exemplaris Cairensis et litem servorum disceptat et in urbem abit; tum demum ille *ταρακτικῶς ἔχων* in scaenam

---

[1]) cf. fr. VX^{v} M^{v} *τέτοχ' ἐκ.* cf. Robert l. l. p. 419 et Sudhaus l. l. p. 19.

prorumpit, postquam nescio quid in urbe comperit. concedo autem hoc non facile esse expeditu. ut tamen expediamus, ordiamur ab Epitrepontibus et explanemus, quae ex fabula ipsa de hac re indagare possumus.

Onesimus, qui soliloquio Abrotoni astutiam admiratur suamque stultitiam conqueritur, Smicrinem furibundum ex urbe appropinquare animadvertit et senis adventum spectatoribus indicat his verbis (v. 360 sqq.):

οὑτοσί
τίς ἐσθ' ὁ προσιών; Σμ[ι]κρίνης ἀναστρέφει
ἐξ ἄστεως πάλιν ταρα̣[κτι]κ̣ῶς ἔχων
αὖτις. πέπ[υσ]ται τὰς ἀλ[. . . . .]ις
παρά τινος οὗτος.

Quid ex illis Onesimi verbis comperimus? servus dicit senem iterum ex urbe advenire iratum. itaque fieri non potest, quin Smicrines furibundus in priore fabulae parte, quae litem servorum antecessit, ex urbe in scaenam progressus sit. qua re commotus ille tum ex urbe ad Charisii aedes profectus sit, nescimus, sed ex commemoratione tumultuosi illius prioris adventus et ex ipsis fabulae Cairensis reliquiis satis certo concludere licet, Smicrini, in urbe habitanti, plus minusve de Charisii luxuriosa vita esse allatum et senem nuntio vel rumoribus adductum — nam sine ulla causa senem furibundum ad generi aedes venisse vix crediderit quispiam — rus ad Charisium profectum esse. sin autem Smicrines iratus tum tumultuose in scaenam progressus est, — id quod Onesimus (v. 360 sqq.) testatur — in prima autem scaena nobis conservata senem non sine animi tranquillitate ex generi aedibus in urbem redire animadvertimus, manifestum est Smicrinis furibundi animum nescio per quem familiarem esse mitigatum. quis autem ille fuerit, de hac re infra coniecturam liceat proferre. sed quid senex in urbem reversus comperit et qua de causa socer iratus iterum ad Charisii aedes venit (v. 360)? hoc quoque ignoramus et coniectando tantum assequi possumus, nam fr. M[r] VX[r], qua in scaena Smicrines ea, quae comperit,

soliloquio protulit, misere laceratum est et nihil certi praebet. Stavenhagen[1]) autem suspicatus est Syriscum, qui sicut Smicrines in urbem abiit (v. 245), senem secure ac pedetemptim incedentem praeterisse et Smicrini ex illo arbitrio sibi noto Onesimi verba (v. 228 sqq.) rettulisse: anulum inter ornamenta infantis repertum esse Charisii, neque dubitari posse, quin adulescens ille infantis expositi pater sit. quo audito Smicrinem extemplo ex itinere revertisse. sed postquam Robertus (cf. l. l. p. 419) et Sudhausius (cf. l. l. p. 19) evidenter explicaverunt Smicrinem multo post (in fr. VX^v M^v *ιέιοκ' ἐκ*) comperisse Charisium habere spurium filium, sententia illius viri docti refutata est, neque fieri potest, ut senex, inde a v. 366 iterum progrediens, de Charisii spurio filio certior fiat. sed cogitari potest ad Smicrinis aures, simulatque ille aliquo modo mitigatus ex generi aedibus in urbem rediit, denuo rumores esse perlatos certiores et senem fama commotum ad generum revertisse, quod rumoribus illis per totam urbem pervulgatis omnis iam familia flagitio flagrare videbatur. atque haec sententia comprobatur cum reliquiis illis, quae exstant in fr. M^r VX^r (v. 366 sqq.) tum fragmento 882 K, quod v. 367 sq. feliciter inseruit Robertus.

ἐξῆγ[ε μ' — — — — — — — —
ἀσωτ[ία — — — — — ἡ πόλις
ὅλη γ[ὰρ ᾄδει τὸ κακόν. — — — —
εὐθὺς — — — — — — δηλα]δή
σαφῶς — — — — — — — — —
πίνειν — — — — — — — — ιων
τοὔνομ[α καταισχύνοντα μετὰ τῆς] ψαλτρίας[2])
ζῆν αὐτὸν

Smicrines in urbem reversus animadvertit generi dissolutam vitam per ora omnium traduci famamque neque opprimi neque tegi posse et senex iam novit generum domum evertere unaque cum fidicina viventem familiae nomen pol-

---

[1]) cf. Herm. vol. 45 (1910) p. 567.

[2]) cf. Sudhaus l. l. p. 16 adnot. 2.

luere. itaque ira rabiesque soceri de fama nominisque honore solliciti, denuo excitatae et inflammatae sunt.

Praeterea Smicrines crebris illis rumoribus adductus de verbis, quibus tum — priorem senis adventum dico — delenitus erat, subdubitare et in generi aedibus causis fictis se esse deceptum suspicari potuit. huc autem fortasse pertinent v. 374 sqq.

(?) *οἰκέ]της ἔφη*
πλέον ἡμ[ερῶν — — — — — —
αὐτὸν διαλλ[αγ — — — — — —

in v. 374 cum Sudhausio fortasse de ea persona cogitandum est, quae senis furibundi animum tum mitigavit, et sententia illorum versuum haec esse potuit: tum in generi aedibus confidenter mihi dictum est Charisium, postquam per complusculos dies luxuriatus est, cum uxore in gratiam redisse.

Duabus igitur causis Smicrines reduci videtur et nominis diffamatione iam per vulgus gliscente exterritus et mendaciis se deceptum esse intellegens.

Iam redimus ad fragmentum Petropolitanum. scaena illa, in qua Smicrines *ταρακτικῶς ἔχων* primum progreditur, in papyris Cairensibus servata non est. cum autem in fragmento Petropolitano furibundi soceri tumultuosus adventus describatur et fabula fragmento illo bene suppleatur, fragmentum Epitrepontibus inserendum esse videtur. sed unum, quod iam tetigimus, obstat: qui fieri potest, ut Smicrines, si tam accurate quam socer ille in fragmento Petropolitano de Charisii vinolentia, dissipatione, amoribus certior est factus, causis fictis ducatur et lactetur atque ille omnia, quae de generi vita infami comperit, neglegens placide et tranquille domum i. e. in urbem abeat? sed priusquam de hac re disputemus, nonnulla, quae cum quaestione illa coniuncta sunt, nos explanare necesse est.

Vidimus permulta in fragmento Petropolitano inesse, quae cum Epitrepontibus conspirent et congruant. itaque per se cogitari potest idem argumentum ab eodem vel a duobus poetis in duabus comoediis esse tractatum. fac

igitur hoc ita esse: etiam sic fragmentum Petropolitanum in fabula Cairensi interpretanda alicuius esset momenti et fortasse nonnulla, quibus Epitrepontum res adhuc obscurae illustarentur, ex fragmento eruere possemus. atque primum de Chaerestrati persona fragmento nos certiores fieri puto. supra enim demonstrasse mihi videor in fragmento Petropolitano Chaerestratum, si nomen eius in v. 16 recte supplevit Cappsius, esse adulescentem, Charisii aequalem, convivam, vicinum. et hoc, quod ex fragmenti interpretatione una solaque enucleari potuit, usu nominis, qualis est in comoediis[1]), perbene confirmatur et probatur. inter omnes enim constat in comoediis nomina esse typica, ut aiunt, neque usquam — ut exemplum afferam — adulescentem nominari Lachetem vel Demeam vel Chremetem, quae sunt senum nomina sollemnia, sed semper Pamphilum vel Moschionem vel Phaedriam quaeque generis sunt eiusdem. ubicumque autem in comoediis persona, cui nomen est Chaerestratus, partes agit, nusquam hoc nomine significatur senex, sed exemplis undique collatis[2]) coacti animadvertimus Chaerestratum esse nomen sollemne adulescentis.

Sin autem in fragmento Petropolitano Chaerestratus nominatur adulescens, nonne probabilissimum est, nonne necessarium est etiam in fabula gemella — in gemella, inquam — et ubi cetera paria omnia sunt, eodem nomine eandem personam significari atque Chaerestratum illum, qui in Cairensi fabula verba facit, esse adulescentem sicut in fragmento Petropolitano certe est? incredibile enim est duarum comoediarum, quarum pendet altera ex altera quaeque idem argumentum et eadem personarum nomina habent, in altera Chaerestratum nominari adulescentem, at in altera idem nomen Chaerestratum esse seni. sed quam-

[1]) de hac re confer Humpers Musée Belge 1910 p. 358 sq.

[2]) cf. Schmidt griech. Eigennamen bei Plautus. Herm. vol. 37 (1902) p. 182. Humpers Musée Belge 1910 p. 358 sq. quibus testimoniis addendum est Cic. pro Roscio § 46. ‚ecquid tamen tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum, Chaerestratum?‘

quam hoc perspicuum esse mihi videtur, tamen hanc sententiam nos magis confirmare et stabilire necesse est; nam Robertus et Koertius coniecturae illi confidenter reluctati non parvis argumentis contrarium evincere student. itaque ea, quae viri illi docti afferunt, perlustremus atque quaeramus, nunc illorum argumentis sententia illa, quam supra protulimus, profligari possit.

Koertio Robertoque persuasum est contra omnes, qui in Epitrepontibus Chaerestratum esse adulescentem Charisiique sodalem statuunt, ex Syrisci verbis (v. 160 sqq.) gravissimum argumentum afferri posse. Syriscus enim uxorem eri aedes intrare iubet his verbis:

σὺ δὲ ταυτί, γύναι,
λαβοῦσα πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε
Χαιρέστρατον νῦν γὰρ μενοῦμεν ἐνθάδε,
εἰς αὔριον δ' ἐπ' ἔργον ἐξορμήσομεν
τὴν ἀποφορὰν ἀποδόντες.

quibus in versibus viri illi docti post *εἴσφερε* interpungunt ita, ut *τρόφιμον* et *Χαιρέστρατον* dirimant hoc modo:

σὺ δὲ ταυτί, γύναι,
λαβοῦσα πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε.
Χαιρέστρατον νῦν γὰρ μενοῦμεν ἐνθάδε,
κ. τ. λ.

Qua interpunctione usus Koertius (praef. p. XIX adnot 3) argumentatur ita: ‚Syriscus, qui Chaerestrati servum se esse dicit (v. 190), uxorem aedes *τοῦ τροφίμου* intrare iubet (v. 160); intrat autem illa aedes Charisii (v. 247 sqq.). ergo Charisius Syrisci *τρόφιμος* i. e. Chaerestrati filius est.‘

Charisius, inquit, Syrisci *τρόφιμος* i. e. Chaerestrati filius est. ita si res se habet, Syriscus et Onesimus, Charisii servus, familiares et conservi sunt. at multa ex illorum colloquio (v. 173 sqq.) Koertii sententiae repugnant atque ex illorum dialogo elucere potius mihi videtur, quod etiam Humpers[1]) et Sudhausius monuerunt, Syriscum Onesimum-

[1]) cf. l. l. p. 355 sq.

que alterum alteri esse plane ignotum, nedum uterque eiusdem familiae sit. vide enim haec:

Syrisco cum uxore ornamenta recensente Onesimus in scaenam progressus Charisii anulum recognoscit et carbonarium adhortatur, ut eum sibi ostendat, his verbis (v. 173 sqq.):

Ον. ἐπί]δειξον[1]. *Συ. ἤν. σὺ δ' εἶ τίς; Ον. [ο]ὗτός ἐστι Συ. τίς;*
Ον. ὁ δα]κτύλιος Συ. ὁ ποῖος; οὐ γὰρ μανθάνω.
Ον. τοῦ] δεσπότου τοὐμοῦ Χαρ[ι]σίου Συ. χολᾷς.
ὃν ἀ]πώλεσεν. Συ. τὸν δακτύλιον θές, ἄθλιε.
Ον. τὸν ἡμ]έ[τ]ερον σοὶ θῶ;

Onesimus Syriscum adloquitur, hic autem illum animadvertens iam interrogat, quis sit: *ἤν. σὺ δ' εἶ τίς;* quodsi Syriscus et Onesimus conservi familiaresque dudum sunt, sicut Koertius ac Robertus volunt, nonne permirum est Onesimum et Syriscum alterum alterum non agnoscere, quamquam Syriscus tricesimo quoque die ad eri aedes ventitare solet et debita ei solvit? immo, ex Syrisci illis verbis satis certe apparet carbonarium Charisii servum ante hunc diem numquam neque vidisse neque novisse, sed tum primum alterum in alterum incidisse. atque hoc magis comprobatur hac re: si Onesimus et Syriscus, quocum colloquitur, eiusdem familiae sunt, cur Onesimus, Charisii servus, erum nominans sui eri esse anulum dicit (*τοῦ δεσπότου τοὐμοῦ Χαρισίου* v. 175) et erum suum seque ipsum Syrisco opponit? (*τὸν ἡμέτερον σοὶ θῶ;* v. 178).

Quis praeterea credat necesse esse Syriscum, Onesimi familiarem, conservo sibi noto explicare, cui ero serviat? Syriscus autem, sicut brevi ante Onesimus (v. 176), suum erum nominans Chaerestrati *οἰκέτην* se appellat (v. 190):

Χαιρεστράτου
εἴμ' οἰκέτης·

fieri mehercule non potest, ut conservi, qui patri et filio

---

[1]) cf. Platonis Phaon. fr. 173 K. v. 5 *ἐπίδειξον αὐτὴν ἥτις ἐστι.*

eiusdem familiae serviunt, tali modo alter cum altero colloquatur.

Sed plura accedunt. iam Sudhausius (l. l. p. 25) monuit Syriscum Onesimo dubitanter dicere (v. 194 sq.):

εἰς ταὐτὸ γὰρ παράγομεν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
δεῦρ' ἀμφότεροι.

Syriscus Onesimum eandem domum frequentare animadvertit, in quam ipse devertitur. quodsi alter alterum erum habet, verba *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* comprendimus et Syriscus, qui alienum servum ad sui eri aedes devertentem videt, optimo iure haec loqui potest; sin autem uterque familiaris est et alter alterum novit, verba *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* non solum plane supervacanea sunt, sed admodum molesta, ne dicam ridicula. denuo igitur verbis illis demonstratur Syriscum Onesimumque familiares non esse.

Alterum argumentum, ut interpunctionem post *εἴσφερε* stabiliant, Koertius Robertusque ex vocis *τρόφιμος* significatione ducunt.

τρόφιμον significare eum, qui familiam alat, intellegimus e schol. Arist. vol. III p. 53, 33 Dind.: *δύο οὖν ἡ λέξις σημαίνει καὶ τὸν θρέψαντα καὶ τὸν τραφέντα· θρέψαντα τὸν δεσπότην, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ, τραφέντα δέ, ὡς ἐνταῦθα τὸν Τριπτόλεμον.*

Photius autem interpretatur *τρόφιμον* hoc modo: *ὁ νεώτερος οἰκοδεσπότης* neque aliter Terentius hoc vocabulum latine vertit erilem filium (cf. Don. ad Eun. v. 289, ad Phorm. v. 39).

Qua ex voce *τρόφιμος* Robertus[1]) concludit haec: *τρόφιμος* significat adulescentem, cuius pater superstes est. quodsi in v. 167 Chaerestratus *τρόφιμος* appellatur, et patrem

[1]) cf. l. l. p. 424 adnot: es ist noch folgendes einzuwenden . . ., daß *τρόφιμος* nur von einem jungen Manne gebraucht werden kann, dessen Vater noch am Leben ist; wäre also der v. 160 erwähnte *τρόφιμος* Chaerestratus, so müßte sein Vater noch leben und dann selbstverständlich in dem Stücke auch vorkommen; wir besitzen aber von der Komödie jetzt so viel, daß wir kühnlich behaupten können, dies sei nicht der Fall gewesen.

eius superstitem esse et in fabula partes agere necesse est. cum autem Chaerestrati patrem in Epitrepontibus in scaenam non progredi propemodum constet, fieri non potest, ut in v. 160 Chaerestrati nomen cum vocabulo *τρόφιμος* coniungamus, i. e. post *εἴσφερε* est interpungendum: ergo *τρόφιμος* est Charisius et Chaerestratus est adulescentis pater.

Illud concedimus, nam coquus etiam in fr. 1 Charisii erum *τρόφιμον* appellat *οὐχ ὁ τρόφιμός σου, πρὸς θεῶν, Ὀνήσιμε.* sed patrem etiam adulescentis, qui *τρόφιμος* appellatur, in fabula partes agere necesse esse ambiguum mihi est. si enim Chaerestratus est Charisii pater, Roberti sententia Onesimus et Syriscus eiusdem familiae sunt. ita si res se habet, nonne exspectamus Onesimum cum Syrisco familiari collocutum Charisium semper *τρόφιμον* appellare, ut Charisium erilem filium et Chaerestratum erum maiorem distinguat? nam in Menandri Samia, qua in fabula praeter erilem filium erus maior in scaenam progreditur, Demeas et Moschion a servo diligenter distinguuntur, e. g. velim conferas Sam. v. 298 sqq. loquitur Parmenon servus:

> *οὐδὲν ἀδικῶν ἔδεισα καὶ τὸν δεσπότην*
> *ἔφυγον. τί δ' ἦν τούτου πεποιηκὼς ἄξιον;*
> *καθ' ἓν γὰρ οὑτωσὶ σαφῶς σκεψώμεθ[α·*
> *ὁ τρόφιμος ἐξήμαρτεν εἰς ἐλευθέρα[ν*
> *κόρην.*

in Epitrepontibus quoque idem exspectamus, opinor, si Chaerestratus erus maior et Charisius erilis filius re vera sit. sed nihil eius modi invenimus. Onesimus enim ipse nusquam in fabula Charisium *τρόφιμον*, verum semper *δεσπότην* appellat[1]). ea videlicet personarum et rerum condicio et status est, ut de ero maiore neminem cogitare posse supponat. cur igitur tam saepe dicit *ὁ δεσπότης*? cur ambiguum illud non vitat? quia erus maior non existit. coquum autem Onesimum adlocutum dicere *ὁ τρόφιμός σου*

---

[1]) cf. v. 176, 183, 203, 229 250, 459, 578.

(fr. I) nullius est momenti, nam nemo, me hercle, crediderit coquum erum maiorem ab erili filio diligenter discernere quasi omnia noscentem, at Onesimum servum familiaremque illud discrimen non servare et neglegentius agere. ex ea potius re, quod Charisius modo *τρόφιμος*, modo *δεσπότης* appellatur, liquere videtur erum maiorem i. e. Charisii patrem in fabula partes non agere; at constare mihi videtur ex voce *τρόφιμος* una solaque nihil de v. 160 concludi posse.

Deinde Robertus[1]) contendit *τρόφιμον* nusquam cum personae nomine esse coniunctum, et hac de causa in v. 160 *Χαιρέστρατον* et *τρόφιμον* interpunctione dirimere illi placet. vocabulum autem *τρόφιμος* in comoediis Menandreis, quae supersunt, praeter v. 160 septies invenitur. cum autem fieri non possit, ut servus erum nominatim appellet *ὦ τρόφιμε Χαιρέστρατε* aut *ὦ δέσποτα Νικήρατε*, vocativis illis[2]) exemplis uti non licet. praeterea v. 251 *εἰ τρόφιμος ὄντως ἐστί σου* excludendus est. itaque tria, ni fallor, exempla restant, quae in tanto numero fabularum, quae interierunt, vix sufficiunt, ut Roberti sententiam confirment; hic potius versus coniecturae eius repugnat.

Itaque nil obstat, puto, quominus v. 160 interpungamus hoc modo:

σὺ δὲ ταυτί, γύναι,
λαβοῦσα πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε
Χαιρέστρατον· νῦν γὰρ μενοῦμεν ἐνθάδε,
εἰς αὔριον δ' ἐπ' ἔργον ἐξορμήσομεν
τὴν ἀποφορὰν ἀποδόντες.

Qua in interpunctione verba quidem *τρόφιμον* et *Χαιρέστρατον* verbis *ἐνθάδ' εἴσφερε* interpositis alterum ab altero segregatum est, sed persimile exstat exemplum. velim enim conferas illos versus cum v. 229 sq.:

---

[1]) cf. l. l. 424 adnot: . . . daß *τρόφιμος* niemals in Verbindung mit einem Eigennamen vorkommt.

[2]) cf. Peric. v. 102. Col. v. 55. Phas. v. 41.

v. 160 πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε
Χαιρέστρατον

v. 229 τοῦ μὲν δεσπότου
ἔστ', οἶδ' ἀκριβῶς, οὑτοσὶ Χαρισίου

poeta autem — quod monet Sudhausius (l. l. p. 24 adnot. 3) — si post εἴσφερε interpungens τρόφιμον et Χαιρέστρατον dirimere voluisset, certe non scripsisset

Χαιρέστρατον νῦν γὰρ μενοῦμεν ἐνθάδε.

γάρ enim particula, si tertium aut quartum locum obtinet, ante caesuram semiquinariam vel semiseptenariam stare solet[1]).

Denique interpunctio illa (πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε Χαιρέστρατον) probatur his verbis altero alteri oppositis

νῦν γάρ — εἰς αὔριον δ'
μενοῦμεν ἐνθάδε — ἐπ' ἔργον ἐξορμήσομεν.

Chaerestratus igitur, si mecum facis, est adulescens Charisiique aequalis et amicus aedesque eius, quas intrat Syriscus (v. 160), sicut in fragmento Petropolitano iuxta Charisii domum in scaena conspicimus et Syriscus, Chaerestrati adulescentis familiaris, et Onesimus, Charisii servus, alter alteri domino servit neque eiusdem familiae sunt. itaque Syriscus, qui ad eri aedes venit, Onesimum utpote alieni eri servum non novit et alter alteri nomen eri, cui servit, nominat. itaque Onesimi verbis auditis (v. 234 sqq.) Syrisci, Chaerestrati servi, non magni interest infantem expositum fortasse esse Charisii puerum atque de hac re ne verbum quidem facere dignatur

v. 240 σκόπει
αὐτὸς περὶ τούτων· εἰ δ' ἀνασείεις ἀπολαβεῖν
τὸν δακτύλιόν με βουλόμενος δοῦναί τέ σοι
μικρόν τι, ληρεῖς· οὐκ ἔνεστι οὐδὲ εἷς
παρ' ἐμοὶ μερισμός.

---

[1]) cf. Epitr. 223, 351, 481. Sam. 128. 294. Per. 221. J. F. I 53. Georg 18.
Epitr. 217, 462. Sam. 65. Per. 253, 373.

hoc autem inauditum est; quis enim crediderit Syriscum tam breviter, tam neglegenter loqui posse, si Charisius sit suus erus et carbonario persuasum sit se fortasse sui eri parvulum filium *ἐν δούλου μέρει*, ut Abrotoni verbis (v. 252) utar, educaturum esse? an dormitasse putas Menandrum?

Sed progrediamur. in fragmento Petropolitano Charisius ille amicos ad convivium invitavit, fidicinam conduxit, cum sodalibus meretriculaque per plures dies luxuriose vivit. sed adulescens ingenuus suas aedes infamare noluit neque domo sua meretriculam recepit coniugi, ut videtur, parcens, ne legitima illa et scortum sub eodem tecto commorarentur. itaque Charisius ab uxore se segregavit (*ἀπόκοιτός ἐστι* v. 10) domoque discessit et in Chaerestrati amici finitimas aedes una cum sodalibus et fidicina se transtulit, uxor autem sola et deserta in mariti aedibus habitat. cum autem in Epitrepontibus Charisii luxuriosa vita eodem modo atque in fragmento illo describatur, cum Chaerestratus quoque adulescens Charisiique amicus partes agat, aedes eius iuxta Charisii domum in scaena conspiciantur, nonne probabilissimum est poetam in Epitrepontibus similem statum rerum et easdem res scaenicas finxisse? moribus enim Charisii haec coniectura probatur. postquam Charisius Pamphilae partum infantisque expositionem per Onesimum comperit, *ἀναμάρτητος* ille summa ira inflammatus est (v. 478) delictumque miserae illi acerbissimis verbis obiecit. sed quamvis uxori suscenseat, tamen Charisius generosum et ingenuum erga uxorem, quam ex animo amat, se praestat. nam adulescens et misericordia et amore commotus, ut iniuriam illi factam contegeret, uxorem domo etiam tunc non extrusit. maritus autem primo animi impetu iracundiaque elatus contra naturam suam laxius vivere coepit: Abrotonum fidicinam conducit et cum amicis potat, ut hoc modo aerumnas aegritudinesque animi deleniat. Charisius autem, cum adhuc uxoris consuetudo amorque eum teneat[1]), Abrotonum

[1]) Onesimus veretur, ne erus cum uxore in gratiam redeat (v. 208 sq).

non amat[1]), fidicina non fruitur[2]). quare per se probabile est adulescentem adhuc integrum et uxoris adhuc amantem, qui tantummodo e vita illa dissoluta peteret solacium et oblivionem, Abrotonum meretriculam in easdem aedes, in quibus Pamphila uxor commoratur, non duxisse neque flagitium illi inferre voluisse. quid ergo veri est similius quam Charisium, sicut adulescens ille in fragmento Petropolitano, a Pamphila se segregavisse et Chaerestratum sodalem Charisio amice operam praestantem amicum, Abrotonum, convivas, Onesimum suis aedibus recepisse? atque ita res se habet re vera. neque enim Syrisci verba (v. 193 sqq.) comprendi possunt, si Charisius in suis aedibus versetur. carbonarius enim ille uxorem ornamenta et infantem in Chaerestrati eri aedes ferre iubet his verbis (160):

σὺ δὲ ταυτί, γύναι,
λαβοῦσα πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε
Χαιρέστρατον.

illis autem ornamenta lustrantibus Onesimus, Charisii servus, interveniens eri anulum inter ornamenta infantis recognoscit et arripit. sed carbonarius ille, ut est suspiciosus, servo ignoto anulum tradere pertinaciter recusat et identidem Onesimum compellans postulat, ut anulus sibi reddatur (v. 177, 181 sq., 184 sqq.). sed qui fieri potest, ut Syriscus adhuc renitens brevi post anulum Onesimo libenter commendet (v. 193)? Syriscus ipse causam explicat (v. 193):

οὐδὲ ἕν μοι διαφέρει·
εἰς ταὐτὸ γὰρ παράγομεν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
δεῦρ' ἀμφότεροι.

quo in versu maximi sunt momenti verba *εἰς ταὐτό*. Syriscus, Chaerestrati familiaris, in eri aedes i. e. Chaerestrati abiturus est, sed etiam Onesimum, Charisii servum ignotum, eandem ianuam intrare videt. itaque Syrisci nihil interest,

---

1) cf. v. 215 *ἐρᾶσθα[ι μὲν ἐδόκουν,*
θεῖον δὲ μισεῖ μῖσος ἄνθρωπός μέ τι.

2) cf. v. 520. *τοιαυτησὶ γὰρ οὐκ ἀπέσχετ' ἂν ἐκεῖνος* i. e. Charisius.

uter anulum habeat, nam carbonarius, cum uterque in Chaerestrati aedes abeat, Onesimum semper observare potest. sin autem Onesimus servus in Chaerestrati aedibus versatur, ipsum quoque erum, convivas, Abrotonum ibi commorari necesse est. quae cum ita sint, Abrotonum Onesimo consilium explicans dicere potest (v. 313 sqq.):

πρὸ τούτου δ' ἔνδον αὐτὸ βούλομαι
λαβοῦσα κλαῦσαι καὶ φιλῆσαι καὶ πόθεν
ἔλαβεν ἐρωτᾶν τὴν ἔχουσαν.

et fidicina, cum Syrisci uxor et meretricula in eisdem aedibus versentur, Chaerestrati servam infanti mammam dantem videre potuit (v. 247 sq.)

τὸ παιδάριον, ὃ νῦν τιθηνεῖθ' ἡ γυνή,
Ὀνήσιμ', ἔνδον, οὗτος εὗρεν ἀνθρακεύς;

Sed illius sententiae adversarius adest Robertus, qui contra affert v. 428 sqq.:

οὐκ οἰ]μώξεται
καταφθαρείς τ' ἐ[ν ματρυ]λείῳ τὸν βίον
μετὰ τῆς καλῆς γυναικός, ἣν ἐπεισάγει
βιώσεθ';

Quibus versibus usus ille evincere studet[1]) in priore saltem parte fabulae Abrotonum in eisdem aedibus atque Pamphilam commorari. sed Roberti argumento sententia illa profligari non potest. Charisius enim in Chaerestrati aedibus finitimis commoratur, donec convivium fidicinae dolo pertubatum est. in fragmento autem M^{v} XV^{r} Charisius cum Abrotono in scaenam progressus est (cf. v. 396). paulo autem post Charisii convivae cenam relinquentes appropinquant; quos conspiciens Charisius cum Abrotono celeriter abit (cf. v. 406 ἀπίωμεν[2]), ut illorum iocos irrisionemque evitet. quo adulescens et fidicina se conferunt? in Chaerestrati enim aedes, in quibus adhuc versabantur, Charisius

[1]) l. l. p. 423.
[2]) cf. Sudhaus l. l. p. 18.

redire non potest, namque ex illis aedibus sodales convivio perturbato foras procedunt, et Charisius, si eo reverteretur, amicis sibi molestis atque irridentibus obviam fieret. ergo Charisius facere non potest, quin in suas aedes abeat et suis aedibus Abrotonum infantis matrem, quae creditur, ad se recipiat, et inde ab hoc tempore meretricula cum Pamphila Charisii uxore in eisdem aedibus re vera habitat. iure igitur Pamphilae pater, qui generum cum Abrotono in Charisii aedes abire vidit, adulescentem exsecratus dicere potest (v. 428 sqq.):

οὐκ οἰ]μώξεται
καταφθαρείς τ' ἐ[ν ματρυ]λείῳ τὸν βίον
μετὰ τῆς καλῆς γυναικός, ἣν ἐπεισάγει,
βιώσεθ';

Cum autem ponimus Charisium Epitrepontum initio, sicut facit adulescens ille in fragmento Petropolitano, in Chaerestrati adulescentis aedes se transtulisse, illa etiam difficultas, quam supra (cf. p. 35) commemoravimus, removetur. dubium enim adhuc erat, num Smicrines furibundus, si senex tam accurate quam socer ille in fragmento Petropolitano de generi infanda vita certior factus est, in generi aedibus mitigari posset, ut initio exemplaris Cairensis tam placide tamque nullis, ut ipse testatur, negotiis distentus servorum litem diiudicaret. rem autem ita institui potuisse concedes. irrumpit socer in aedes paene desertas, silentes, nil insolitum ostendentes[1]). occupat filiam subtristem, sed maritum defendentem et finem bacchanalis praedicentem; omnia rumoribus aucta esse, tolerabilem sibi iniuriam illatam, scortum non obductum, aedes intactas esse, sumptum factum mediocrem iamque illum paenitere intemperantiae et rediturum in naturam suam. itaque a Pamphila filia — sive illa amore mariti sive, quod veri est similius, suae culpae conscientia adducta est — mitigatus senex et domum i. e. in urbem redire constituit et arbitri munus in

[1]) cf. fr. Petropol. v. 29 sq.

se recipere non detrectat tamquam otiosus nec curis ultra occupatus et ταρακτικῶς non iam ἔχων.

Denique de versibus, quos alterius actus initio restituit Jernstedtius (v. 36—39) quosque supra tetigimus, nos breviter disputare necesse est. viri enim docti, qui fragmentum Petropolitanum Epitrepontibus esse inserendum censent, neglexerunt verba illa (v. 37—39), si ita legantur, ut adhuc fieri solebat, in Epitrepontibus locum habere non posse. confirmat enim servus fideli semper animo se erga erum futurum esse, in rerum humanarum fragilitate et infirmitate erus solus illi est praesidium atque refugium, in illo omnem spem ponit, ad erum solum quasi ad certam normam vitam dirigit. Onesimus quoque quin per totam fabulam Charisio ero fidelis et deditus sit, vix dubitari potest, sed tamen ille talia verba num facere possit, dubites. Onesimus enim Pamphilae partum infantisque expositionem ad Charisium detulerat, Charisius autem servo, cui de ero se bene meritum esse persuasum erat, gratias non habuit, sed ille tum eum increpuit atque nunc etiam ei valde suscenset. itaque Onesimus anxius et timidus eri rebus se immiscere veretur. quae cum ita sint, miraris, quod Onesimo illi erus sit πόλις ac καταφυγή et servus ille dicat πρὸς τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν ἐμέ. haec igitur verba ad Onesimum minus quadrare videntur et a rerum condicione Epitrepontum aliena sunt.

Sed illa verba fragmenti 581, quod hic inseruit Jernstedtius, membranae lectioni repugnare et hac de causa e fragmento Petropolitano esse removenda supra explicavimus. atque id magis confirmari mihi videtur hac re: cum in membrana servatae sint litterae οιομ, Jernstedtius membranae lectionem corrigens οἶμαι inculcare coactus est[1]). vocabulum autem οἶμαι a sententia fragmenti 581 prorsus abhorrere mihi videtur. nam is, qui dicit οἶμαι, dubitat. at certe ac confidenter servus ille in fr. 581 loquitur:

[1]) cf. supra p. 15.

ἐμοὶ πόλις ἐστὶ καὶ καταφυγὴ καὶ νόμος
καὶ τοῦ δικαίου τοῦ τ' ἀδίκου παντὸς κριτής
ὁ δεσπότης. πρὸς τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν ἐμέ.

ex uno quoque verbo elucet, quantopere ille ero sit addictus, itaque exspectaveris illum tamquam de re certissima atque de ‚evangelio' suo dicere: ‚mihi erus est praesidium ac refugium, id certum habeo' vel ‚id mihi constat'; *οἶμαι* autem in tali sermone me iudice pravum vel absurdum est.

Versum 36 autem *ἐπι[σφαλῆ μὲν] πάντα τἀνθ[ρώπων* Jernstedtius recte supplevisse mihi videtur. et verba illa, quibuscum conferendus est v. 349

νῦν ἐπισφαλῆ
τὰ πράγματ' ἐστὶ τὰ περὶ τὴν κεκτημέ[νην,

cum moribus Onesimi anxii et timidi egregie conveniunt.

Mirabilem fragmenti et fabulae consensionem adhuc statuere potuimus multisque atque sane gravibus argumentis stabilitur ac confirmatur sententia eorum, quibus placet fragmentum Petropolitanum ex Menandri Epitrepontibus esse desumptum. itaque illis assentiri non dubito atque fragmentum Petropolitanum primo actui Epitrepontum esse adiudicandum censeo.

Denique argumentum haud spernendum ex versu 362 conquiri posse Sudhausius mecum communicavit. nam magnam illam lacunam vix aliter suppleri posse scribit quam sic:

πέπυσται τὰς ἀλ[ωπεκίας[1]*) ἴσ]ως*
παρά τινος οὗτος.

dicere igitur videtur Onesimus: ‚volpecularum latebras Smicrines ab homine nescio quo comperit'. quod si verum

[1]) cf. Etym. magn. 75, 6 *ἀλωπεκία· αἱ τῶν ἀλωπέκων καταδύσεις.*

est, latere amicos et bibere in loco quodam reconditiore significatur i, e. in aedibus vicinis. constabat adhuc ex verbis Onesimi Smicrinem aliquid novi comperisse, cur iterum *ταρακτικῶς ἔχων* ex urbe rediret. iam apparere videtur Onesimum timere, ne cubilia illa latitantia ab acerrimo indagatore detegantur opprimanturque convivales tamquam in ‚maleparto' suo in aedibus Chaerestrati.

Iam restat, ut totius fabulae decursum, qualem quidem fuisse puto, ante oculos proponam et earum quarum vestigia habemus scaenarum ordinem ac seriem, uti possum, paucis comprehendam ac discribam. singula quaedam hic demum expediri possunt.

I.

1 Prima in fabulae scaena Onesimum servum et coquum partes egisse omnes fere consentiunt et fragmenta I—IV quin huic scaenae attribuenda sint, vix dubitari potest[1]. Onesimus igitur a Charisio ero in urbem missus, ut coquum ad prandium apparandum conduceret, fabula ineunte cum culinae artifice isto[2]) ex urbe in scaenam prodisse videtur.

Coqui autem et servi colloquio totius fabulae argumentum quodammodo adumbratum esse videtur. ille enim blattero, ut est curiosus (fr. III), Onesimum familiarem, quae in Charisii aedibus gerantur, sciscitatur (fr. I)[3]. sed cavebat, puto, Onesimus, ne homuncioni illi garrulo, qui, sicut collegae in comoediis, familiae secreta enuntiare et evulgare

---

[1]) cf. Leo Herm. vol. 43 (1908) p. 130 sq; Koerte edit. II p. 42.

[2]) de ridiculae illius personae moribus et indole certiores nos facit Athenaeus, qui in hac fabula Menandrea coquum cavillantem verba fecisse testatur (p. 119e). itaque probabile est in hac scaena coquum illum sive de rebus domesticis esse iocatum sive — quod veri est similius — Onesimum ipsum vellicasse, velut fit in Antiphanis fr. 68. Aristoph. fr. 7. Terent. Adelph. III 3 (v. 355 sqq.).

[3]) huic vulgari sententiae reluctatur Eduardus Cappsius (four plays of Menander p. 32 adnot. 1): ‚he has curiosity, indeed, but only about the details of the entertainment, for which he is cater, never about a purely domestic situation.‘ sed talis coqui curiositatis testis est paratus Themistius (or. XXI p. 262c); hic coqui curiosi typum illustrans refert: *ἀλλ' οὐκ ἐνταῦθα Καρίωνι τὸ κακὸν τὸ μέγα, ὅτι μοχθηρὰ ἡ τέχνη αὐτοῦ καὶ ἀλλό-*

soleat, singula (velut Pamphilae partum et infantis expositionem) enarraret. servus potius percontationem sibi molestam evitans coquum plura exquirentem intro misisse videtur, quia erus cenae apparatum exspectaret (fr. IV).

Postquam autem poeta illorum colloquio spectatorum animos non sine artificio quodam ad fabulae argumentum attendit, referri necesse erat, quae ad fabulam intellegendam opus essent i. e. quae ante comoediae initium in Charisii aedibus gesta essent. Onesimus autem, cum Charisii Pamphilaeque secreta noverit (v. 207), maxime idoneus esse videtur, qui spectatoribus argumentum explanet.

Onesimus igitur, postquam coquus intro abiit (fr. IV), in scaena restare secumque locutus haec fere verba facere potuit:

Charisium adulescentem nuper Pamphilam, Smicrinis 2 (?) filiam divitem pulchramque (v. 267), in matrimonium duxisse. paulo autem post maritum — nescio quibus negotiis occupatum — aliquamdiu domo afuisse. interea Pamphilam filium peperisse et clam omnes, ut partum celaret, infantem exposuisse. casu autem esse factum, ut ipse quae facta essent comperiret. itaque se ero domum reverso omnia extemplo rettulisse. quo audito Charisium non gratias habuisse sibi sed supplicium minitatum esse (cf. v. 207) servoque fideli etiam nunc valde irasci. Charisium autem Pamphilam quidem domo non extrusisse, sed adulescentem in Chaerestrati amici vicinique aedes — hoc dicens Chaerestrati domum digito monstrat — se transtulisse ibique ab uxore segregatum cum amicis et Abrotono fidicina, quam conduxerit, contra naturam suam luxuriose vivere, ut hoc modo animi sollicitudinem deleniat solaciumque petat e vita illa dissoluta.

Tali fere sermone habito Onesimum in Chaerestrati aedes ad erum abisse probabile est vocatum fortasse a Chaerestrato, quem in scaena remansisse credo.

κοτος, ἀλλ' ὅτι πονηρὸν ἀνθρώπιον ἦν καὶ οὐκ ἐπὶ τῷ ἔργῳ εἰς τὰς οἰκίας παρερχόμενον, ἀλλ' ἵνα λαλήσῃ καὶ ψιθυρίσῃ καὶ διαβάλῃ καὶ ἐξενέγκῃ οὐχ ὅσα μάγειρον εἰκὸς μαστιγίαν, ὅς δικαίως ἐκρέματο, ἂν οὕτω τύχῃ διὰ τὴν χρηστὴν φιλομάθειαν ἐν τῇ σπυρίδι. ἀλλὰ καὶ τὰ ἀπόρρητα τῆς οἰκίας οὐδ' ὅσα ἀκήκοε μόνον, ἀλλὰ πολλὴ ἡ προσθήκη καὶ ἡ τῶν κακῶν ἐποικοδόμησις.

3 In ea autem quae sequebatur scaena, nisi pauca quaedam intercesserunt, Smicrinem furibundum adventasse persuasum mihi est. nam hic fere fragmentum Petropolitanum esse inserendum censeo. nuntio enim de generi propudiosa vita allato Smicrines iratus domo i. e. ex urbe ad Charisii aedes profectus est, ut ipse singula percontaretur. socer autem in scaenam progressus ea, quae animum movent, expromit Charisiique luxuriam, vinolentiam, dissipationem secum conqueritur. senis autem soliloquium, cuius altera pars in fragmento Petropolitano servata est, Chaerestratus adulescens Charisiique sodalis auscultat socerique morosi querelas irridet. paulo autem post altero Charisii conviva progresso adulescentes illi Smicrinem adeunt et senem Charisii domum intraturum retinere conantur. sed ille iratus moraeque impatiens in adulescentes vehementer invectus ad filiam intro abit. post senis autem abitum Charisii sodales illi paulisper inter sese collocuti in scaena restant, deinde Charisium, qui in Chaerestrati aedibus prandium apparandum curaverat, de soceri repentino adventu certiorem faciunt (fr. Petrop. v. 1—35).

Nota autem *χοροῦ* posita primi actus finis indicatur.

II.

1 Initium quoque alterius actus fragmentum Petropolitanum praebet, sed frustula tantum exstant[1]). cum autem in sermone eiüs, qui loquitur, *ὁ δεσπό[της* (v. 39) commemorari videatur, servum i. e. Onesimum verba facere probabile est. et ille, sicut tertii actus initio, soliloquium habuisse videtur (fr. Petrop. v. 36 sqq.)[2]).

---

[1]) de v. 36 sqq. vide supra p. 14 sq. 47 sq.

[2]) etiam plura de huius actus primis scaenis enucleare possumus. Smicrines enim, qui sub finem primi actus in Chaerestrati aedes ad filiam abiit, cum Pamphila collocutus est, dum chorus in scaena commoratur. filia autem tum patri singula de Charisii vita exquirenti causas finxisse

In prima autem Cairensis exemplaris scaena conservata Davus et Syriscus progrediuntur[1]) atque servi illi inter sese litigantes Smicrinem ante Charisii fores stantem arbitrum faciunt. avus autem nescius hoc in iudicio de nepotis, filiae, generi fortuna agi litem iusto arbitrio disceptat infantemque una cum ornamentis Syrisco, Chaerestrati servo, adiudicat (v. 1—134)[2]). deinde Smicrines in urbem proficiscitur, rus discedit Davus (v. 158). 2

---

videtur, rerum statum, qualis re vera erat, celat, maritum a soceri opprobriis defendit et excusat. ita fit, ut Smicrines, qui brevi ante ταρακτικῶς ἔχων advenerat, tranquille placideque in urbem reverti constituat (cf. supra p. 46).

Talem autem colloquii eventum, quia intus in Charisii aedibus pater cum filia convenit, poetam spectatoribus referre nescesse erat. cum autem initio exemplaris Cairensis Smicrines in urbem rediturus ante generi ianuam astet, paene certum est senem ipsum colloquio habito in scaenam progressum — Onesimus, qui soliloquium habet (fr. Petrop. v. 36 sqq.), ianua crepitante et Smicrine prodeunte in Chaerestrati aedes ad Charisium erum discedere potuit — paucis verbis explicasse ea, quae ex Pamphila filia modo audiverat. sed fortasse cogitari potest Onesimum quoque secum locutum nonnulla de Smicrinis Pamphilaeque conventu protulisse, quae auscultans exceperat. nam in sermone eius non solum ὁ γέρων (fr. Petr. v. 40) i. e. Smicrines commemoratur, verum etiam scire videtur Smicrinem esse lactatum. nam Onesimus senem furibundum iterum ex urbe appropinquare animadvertens in versu 362, de quo supra (p. 48) egi, suspicari videtur socerum per aliquem certiorem factum iam omnia novisse

πέπυσται τὰς ἀλ[ωπεκίας ἴσ]ως
παρά τινος οὗτος.

ita si res se habet, nescio an Onesimus, qui apud erum in Chaerestrati aedibus est, nuntio de soceri adventu per amicos illos allato de convivarum circulo se subduxerit et cum non ignoret Charisio uxorem neglegenti a socero potissimum periculum impendere, in Charisii aedes se transtulerit ibique conventum illum auscultaverit. — sed hoc incertum.

[1]) qua de scaena plura etiam coniectando possumus assequi. Davus enim pecuniae cupidus, opinor, domo in urbem profectus erat, ut ornamenta illa cum puero inventa venderet. sed Syriscus uxorque eius, qui tale aliquid suspicati esse videntur, iam dudum illum observantes (cf. v. 58) subito in Davum invadunt et crepundia reposcunt. sic enim factum esse conicias, ut Syriscus iam pridie eius diei, quo ἀποφορὰ solvenda erat, in urbem properaret.

[2]) magna autem communio affinitasque huius scaenae cum Rudentis IV 3 sqq. statuenda est (cf. Leo Herm. vol. 43 (1908) p. 128 adnot. 1). in

Syrisco autem cum uxore ornamenta recensente Onesimus coquum segnem compellans supervenit (v. 166) et inter pueri crepundia Charisii eri anulum recognoscit, quem a carbonario reposcit. Syriscus autem Chaerestrati adulescentis familiaris, ut est suspiciosus in servum sibi ignotum, aliquamdiu repugnat, sed Onesimum etiam sui eri Chaerestrati ianuam intrare videns anulum tradit, ut Charisio monstret atque, quid hac in re faciendum sit, curet (v. 166—201).

Nota *χοροῦ* post v. 201 posita alterius me iudice actus finis indicatur.

III.

1 Dum Charisius cum sodalibus intus cenat, Onesimus solus foras progreditur atque refert identidem se ero inter epulas anulum ostendere voluisse, sed iracundiae memorem Charisii ac pristinas eri minas veritum accedere se non ausum esse (v. 202—212).

2 Servo autem secum deliberante, quid sibi faciendum sit, Abrotonum convivas sibi molestos effugiens ex Chaerestrati aedibus proruit conqueriturque se a Charisio, qui tantam pecuniam cotidie pro se solvat, non amari, non attigi, ne ad latus quidem in epulis admitti (v. 213—224).

---

utraque enim fabula rerum condicio eadem est: servi de ornamentis inter sese litigant et senem, qui liberis, quorum sunt ornamenta, cognitissimus est, arbitrum invocant. hic litem aeque disceptans liberis agnoscendis consulit. Davo autem similis est Gripus servus, qui ornamenta, quae invenit, sibi habere vult; Trachalio autem cum Gripo illo, sicut Syriscus cum Davo, aliquamdiu altercatus postulat, ut ornamenta ei, cuius sunt, reddantur. sed cum nihil inter utrumque conveniat, alter suadet, ut in hac re sequester invocetur, alter sperans sibi omnia adiudicatum iri consentit. deinde faciunt arbitrum senem, qui in Epitrepontibus avus, in Rudente pater ipse est. Epitr. v. 2 sqq. $\sim$ Rud. v. 1004 sq., v. 1035 sqq. Epitr. v. 98 $\sim$ Rud. 1077 sq. Epitr. v. 103 sqq. $\sim$ Rud. 1082 sqq.

Interim Syriscus, qui Onesimum frustra in Chaerestrati aedibus quaesiverat, procedit (v. 225) servumque conspiciens, ut res acceleretur, postulat. cui anulum reposcenti Onesimus explicat, quae suspicetur: anulum eundem esse, quem erus Tauropoliis amiserit; sin autem anulus inter infantis ornamenta repertus sit, manifestum esse a matre, cuius in manibus tum Charisii anulus remanserit, anulum illum puero exposito additum esse neque dubitari posse, quin Charisius ipse infantis pater sit. quo audito Syriscus Onesimo anulum relinquens in urbem abit (v. 225—246).

Abrotonum autem sermone servorum auscultato, quid opinetur, explicat. meminit Tauropoliis virgini pulchrae vim illatam esse. cum autem Charisius eodem die anulum amiserit, veri esse simillimum a Charisio virginem illam esse vitiatam; sed multis de causis extemplo hoc pro certo non esse habendum. itaque muliercula illa callidissima, ut exploret, num Charisius re vera pater sit, Onesimo lepidum consilium explanat: infantem anulumque eri secum portantem se ipsam quasi matrem pueruli Charisio quaecumque Tauropoliis gesta sint, ita enarraturam esse, ut adulescens ipse sua sponte fidicinam tum a se stupratam esse fateatur. anulo autem accepto illa intro ad Charisium abit (v. 247—339).

Onesimus in scaena restans, dum meretriculae astutiam 3
admiratur suamque stultitiam conqueritur (v. 340—359), Smicrinem furibundum iterum ex urbe appropinquantem conspicit et illius rabiem evitans in Chaerestrati aedes discedit (v. 365).

Smicrinem autem, cuius adventus servi verbis spectatori- 4
bus nuntiatus est, in ea quae sequitur scaena (fr. M^r VX^r) procedere atque soliloquio, qua de causa reverterit, referre necesse est. sin autem vera sunt ea, quae de senis soliloquio supra (cf. p. 34 sq.) coniecimus, socer ille haec fere verba facere potuit[1]): generi insania adductum iterum se huc redisse, nam famam de generi nefanda vita per totam

[1]) cf. Sudhaus l. l. p. 16 adnot. 2.

urbem dissipatam nec opprimi nec tegi posse. iam se certo novisse generum una cum scorto viventem uxoremque neglegentem familiae nomen polluere atque infamare. quae cum ita sint, se mirari, quod Pamphila filia de marito bene sperans tum confidenter sibi dixerit Charisium per complusculos dies luxuriatum brevi secum in gratiam rediturum esse[1]). interrumpit autem Smicrinis querelas coquus, qui valde lamentans in v. 383_4 prodisse videtur[2]). coquum autem animadvertens Smicrines paululum recedere atque soliloquium eius arrectis auribus auscultare potuit (v. 383_4—389).

5 (?) In fragmento VX^2 M^2 quod sequitur Charisium Abrotonumque in scaenam progressos esse constat (v. 396).

---

[1]) hoc senis soliloquium usque ad verba *ἀλ]λὰ χαιρέτω*, sicut suspicatur Sudhausius, productum esse verisimile est, nam verbis *οἴμοι τάλ[ας* (v. 377) novae personae i. e. coqui sermonem incipere — id quod placet Roberto — vix probabile est, cum Jensen (Rh. Mus. 1910 p. 548) in margine fragmenti M^r nullam paragraphum agnoverit; nova potius sententia novaque verborum periodus in Smicrinis soliloquio verbis *οἴμοι τάλ[ας* interiectis indicari videtur, velut fit in Archedici fr. 2/3 (cf. v. 11. cf. etiam v. 2).

[2]) sed qua re commotus coquus progreditur? Roberto (l. l. p. 412 sq.) placet coquum Abrotoni Charisiique colloquium intus auscultasse, curiosum autem illum esse deprehensum atque verberatum. itaque ira inflammatum coquum foras se proripuisse. sed a viro illo doctissimo paululum dissentio et haec propono.

Abrotonum enim, quod recte monuit Robertus, Charisio mendacia illa enarravit (v. 300 sqq.) anulumque adulescenti attonito monstravit. atque mulierculae conatus feliciter evenit: Charisius talibus argumentis convictus facere non potuit, quin se infantis patrem esse confiteretur. adulescente autem patre agnito multus inter convivas factus est tumultus, puto, et invitati convivio perturbato a mensa surgunt domum abituri, quod quidem egregie delineavit Robertus. hunc vero tumultum strepitumque exaudiens coquus, ut est curiosus, ex culina, ubi eum in cibis apparandis esse occupatum consentaneum est, advenit et hospites cenam relinquentes conspicit. quo autem animi dolore coquum abeuntes convivas conspexisse putas? ille enim, qui artificem se gerere solet et artem coquinariam semper in ore habet, indignatus est, quod in tanta perturbatione et confusione, quas Abrotoni verbis factas esse nescit, hospites nec dapes artificiose a se instructas nec se ipsum curent. itaque neglectus ille *τεχνίτης*, opinor, in scaenam progreditur, et se ipsum conquestus familiaresque exsecratus domum abit. nam convivio perturbato coquo in aedibus locus non iam est. (de v. 383 cf. Sudhaus l. l. p. 17.)

convivio enim perturbato convivae surgunt. ex quibus Charisius primus cum fidicina e Chaerestrati aedibus proruit. cum autem de illis scaenis doctissime disputaverint Robertus et Sudhausius, illorum explicationes comprehendere breviterque summam referre mihi liceat.

Charisii pristina superbia et nimia de se ipso opinio[1]), postquam spurii filii pater est inventus, labefacta ac repressa est. sodales autem, quos laxius viventes ἀναμάρτητος ille despicere solebat, casu illius et delicto gavisi non sine malevolentia quadam eum intus ridiculis verbis carpsisse videntur. itaque Charisius et facinoris pudore afflictus et amicorum iocos irrisionemque evitans de convivarum circulo se subduxisse videtur. adulescentem autem subsecuta est Abrotonum, cui utpote matri infans posthac adhaerebit. ipsa vero a Charisio postulavisse videtur, ut pueri ornamenta sibi pararet (v. 390—402)[2]).

Dum autem Charisius cum Abrotono rixatur et Smicrines amborum colloquium auscultat[3]), Charisii convivae cenam relinquentes e Chaerestrati aedibus appropinquant[4]). quos conspiciens Charisius cum fidicina in aedes suas[5]) celeriter abit, ne sodalibus illis obviam fiat neve denuo ab illis derideatur (v. 406 ἀπίωμ[εν).

---

[1]) cf. v. 428, 487 sqq., 501.

[2]) ex illorum colloquio nihil fere servatum est. exstant in v. 400 sq. verba

— — — — — — πέμπειν ἵνα

— — — — — — τὰ χρήματα

cum autem voce χρήματα in Epitr. v. 180 et in Peric. v. 343 crepundia significentur atque meretricula, sicut ipsa testatur (v. 320), id solum spectet, ut patre invento matrem etiam indaget, illa Sudhausii sententia probabilitatem habet magnam.

[3]) cf. Sudhaus l. l. p. 18.

[4]) quorum alterum esse Simmiam, qui in v. 405 commemoratur cuiusque nomen, quod monuit Koertius, in margine (v. 424_6) C./ exstat, Robertus demonstravit (p. 418); alter quin sit Chaerestratus adulescens Charisiique amicus, vix dubitari potest, nam illum, quem in fragmento Y R[r] litteris XAIP / in margine (v. 427) satis certe dispectis verba facere constat, una cum Simmia illo progressum esse perquam verisimile est.

[5]) cf. supra p. 46.

Adulescentes autem progredientes de iis, quae modo intus gesta sunt, inter sese colloquuntur, et illorum sermonem captans Smicrines paulatim singula comperit[1]). postquam autem ille audivit fidicinam peperisse puerum, cuius pater sit Charisius (*τέτοχ' ἐκ* [*Χαρισίου* Rob.), Smicrines tandem iustam causam filiam reducendi nactus prorupisse et adulescentes adlocutus esse videtur, ut Charisii consortes illos antestaretur (fr. $V^2 X^2$ v. 431_{46}))[2]. quod Smicrinis et adulescentium colloquium fragmento Y R extenditur[3]). Smicrines enim Charisii amicis illis causas explanans affert, quae brevi ante auscultavit (v. 406 sqq.)

> [*ὁ γεννάδας*
> *ὑμῶν ἑταῖρος οὗτος ο[ὐδ'] ἠσ[χύ]νετο*[1])
> *παιδάριον ἐκ πόρνης* [*ποεῖν*[4])

verbis autem senis irati talique rerum commutatione attoniti Simmias Chaerestratusque soceri animum flectere, sodalem defendere, socerum a consilio revocare videntur. et vero Smicrines, cuius illorum testimonium adipisci magnopere interest, aures illis praebet suumque consilium exponit. sed tamen iure suo decedere non vult et gaudio quodam affectus, quod iam generum superbum et sibi invisum ulcisci possit, Charisii consortes, quibuscum ille convivabatur, antestatur (v. 426 sqq.). deinde Simmias senem adloquitur (cf. v. 420_5). cum autem in lacuna post v. 420_6 Smicrines genero dissolutam vitam denuo vitio dedisse videatur, Charisii sodales amicum excusantes seni respondent Charisio iucundam istam vitam iam esse invisam atque adulescentem illum miserum iam amorum et convivorum satietatem cepisse (v. 420_7 sqq.).

> *μισεῖ τὸν ἡδὺν λεγόμενον τοῦτον βίον.*
> *ἔ[π]ινε μ[ε]τὰ [τοῦ δ]εῖνος, εἶχεν ἑσπέρας*
> *τὴν δεῖν'*[5]), *ἔμελλ]εν δ' αὔριο[ν ἀφήσ]ειν.*

---

1) cf. Sudhaus, l. l. p. 19 sq.

2) cf. supra p. 32.

3) de hoc fragmento cf. Sudhaus l. l. p. 20 sqq.

4) suppl. Sud., quae iam ipsa papyro probari testatur Jensenius.

5) vel *παῖδ'* Sud. de versibus illis cf. Sudh. l. l. p. 23.

sed Smicrinis animus causis, quas afferunt Chaerestratus Simmiasque, deleniri non potest, illorum potius verbis exacerbatus ille magis magisque furit, atque senex generi delicto flagitioque familiae suae illato summa ira inflammatus Charisium, quem brevi ante cum scorto in aedes, in quibus commoratur Pamphila filia, abire animadvertit (v. 406), vehementissime exsecratur his verbis (v. 428 sqq.)

> *οὐκ οἰ]μώξεται*
> *καταφθαρείς τ' ἐ]ν ματρυ]λείῳ τὸν βίον*
> *μετὰ τῆς καλῆς [γυν]αικὸς, ἣν ἐπεισάγει,*
> *βιώσεθ'*[1]);

Pagina autem post v. 436 plane abscissa colloquium illud abrumpitur. atque permulta temporum iniquitate perierunt, nam inter fragmentum YR et fragmentum H_1 150 fere versus deesse A. Koerte et C. Robert ostenderunt. sed nonnulla de scaenis illis amissis conicere licebit. veri enim est simillimum Smicrinis et adulescentium colloquium per complusculos versus esse productum. cum autem Charisii sodalibus illis non contingat, ut soceri irati animum mitigent senemque a consilio revocent, Smicrines exacerbatus, cui satis superque causae est filiam ex ipsius mariti aedibus domum secum reducere dotemque reposcere, paulo post in Charisii aedes, puto, irrumpet, ut cum Pamphila filia conveniat eique consilium explicet. cuius colloquii eventus qualis fuerit, ambiguum est et in controversia versatur, cum ex Onesimi Charisiique soliloquiis (v. 457 sqq.) non multa comperiamus. sed videamus, quae de hac re enucleare possimus. Charisius soceri uxorisque conventum auscultavit, eri autem auscultantis verba excepit Onesimus et servus ille in scaenam progressus secumque locutus spectatoribus refert haec (v. 464 sqq.):

> *ὁ πατὴρ δὲ τῆς νύμφης τι περὶ [τῆς συμφορᾶς*
> *ἐλάλει πρὸς ἐκείνην, ὡς ἔοιχ.'*

Smicrines igitur filiae adhuc nesciae, quae interea gesta essent, singula enarravit: Charisio spurium filium ex Abrotono natum esse, meretriculam ipsam maritum ad se recepisse domumque infamasse. sed Pamphila Charisii delicto audito tamen patris condicionem respuit et maritum deserere recusavit. Charisius enim uxoris verba ipsa, quae auscultavit, afferens dicit (v. 498 sqq.):

---

1) *οἰμώξεται — βίον* Ar. *γυναικός* Lef. — v. 428 sqq. recte interpungit Rob. cum Chaerestratum esse adulescentem iudicemus, fieri non potest, quin verba illa, quae Robertus Chaerestrato seni attribuit, Smicrini demus.

ὅμοι]ά γ' εἶπεν οἷς σὺ διενόου τότε
πρὸς] τὸν πατέρα· κοινωνὸς ἥκειν τοῦ βίου
παρ' ἄνδρα κ]οὐ δεῖν τἀτύχημ' αὐτὴν φυγεῖν
τὸ συμβ]εβηκός.

Pamphila fidem erga maritum servat et ex unoquoque verbo, quod Charisius uxoris mores illustrans affert, elucet, quam mitem quamque indulgentem erga maritum illa se praebuerit (cf. v. 467 sqq., v. 493 sqq.). quamquam conicias non solum mariti amore, verum etiam suae culpae conscientia in Charisii aedibus illam retineri (cf. p. 51). si enim patris voluntati obsecuta a marito discedet et Smicrines, ut minatus erat, Charisium maritum n ius vocabit, Pamphilae verendum est, ne maritus sui excusandi et purgandi causa referat, qua re commotus ad illam luxuriosam vitam confugerit, atque hoc modo partus infantisque expositio retegatur. Smicrines autem, qui ignorat, quae res filiae animum excrucient, neque comprehendit, cur filia, cui tanta iniuria a marito sit illata, tam pertinaciter resistat, in onsilio perseverat, atque Pamphila quamvis invita patris auctoritati cedere cogitur. etenim Smicrines familiae existimationi atque famae timens nullo pacto pati potest, ut filia cum scorto sub eodem versetur tecto. itaque Smicrines, cum filiae persuadere non posset, ut in urbem secum rediret, Pamphilam ex mariti aedibus, quia meretricula ibi commoratur, in suas aedes, quae iuxta Charisii domum in scaena conspiciuntur, traduxisse videtur. nam re vera mulier honesta vix recusare potest, quin aedes relinquat, in quas paulo ante *πόρνη ἐπεισῆκται*. illud enim quod Koertius Robertusque suspicati sunt, certius fortasse demonstrari potest hoc modo:

Charisium convivio perturbato ex Chaerestrati adulescentis aedibus in suas aedes cum Abrotono revertisse supra (cf. p. 45 sq.) explicavimus. in fr. H[1] autem Abrotonum virginem, quam Tauropoliis vidit, agnoscit et interrogando eam esse Charisii uxorem comperit, sed mulierum colloquium finitimarum aedium ianua crepitante interrumpitur et fidicina Charisii uxorem rogat, ut eam intro in aedes sequi sibi liceat (v. 453 sqq.).

τὴν θύραν
τῶν γειτόνων τις ἐψόφηκεν ἐξιών·
εἴσω λαβοῦσα μ' ὡς σεαυτὴν εἴσαγε,
ἵνα καὶ τὰ λοιπὰ πάντα μου πύθῃ σαφῶς.

e finitimae autem domus ianua progreditur Onesimus; ergo aedes, ante quas mulieres astant et in quas Abrotonum cum fidicina mox abibit, non eaedem sunt, e quibus Onesimus (v. 457) procedit, i. e. Charisii. cum autem cogitari non possit Pamphilam in Chaerestrati adulescentis aedes redire, fieri non potest, quin praeter Charisii et Chaerestrati adulescentis aedes tertiam etiam domum i. e. Smicrinis[1]) in scaena esse iudicemus et in hasce patris aedes Pamphilam Abrotonumque abire coniciamus.

[1]) binae igitur aedes Smicrini sunt, alterae in scaena, alterae in urbe.

Illud autem patris filiaeque colloquium, sicut priorem illorum conventum (in fragmento Petropolitano), poetam a spectatorum oculis removisse intusque in Charisii aedibus collocasse verisimillimum est et Charisius a gynaecei foribus sermonem eorum auscultasse videtur[1]. non multa quidem de conventu illo ex Onesimi Charisiique soliloquiis comperimus, nam inprimis adulescentis commutationem animi verbis illis, quae servus et erus afferunt, illustrare volebat, opinor, poeta, sed probabilissimum est, id quod monet Sudhausius (l. l. p. 21 adnot. 1), Smicrinem ipsum et Pamphilam, quam post illud cum patre colloquium in scaenam iam prodisse constat, summam colloquii rettulisse. Smicrines enim, postquam e postico per hortum, opinor, filiam in suas aedes traduxit, ex illis aedibus progressus et fortasse in urbem abiturus (cf. v. 522 sqq.) filiae pertinaciam increpare breviterque explicare potuit, quid facere sibi in animo esset: quamquam frustra operam navasset, ut filiam secum in urbem reduceret, tamen consilium persequi sibi constare; generi nefandae vitae testes sibi esse paratos Charisii consortes, iam se in urbem rediturum esse, ut egregium istum generum in ius vocaret. postquam autem pater abiit, Pamphilam ex Smicrinis illis aedibus esse progressam certum est (v. 434). Pamphila sola et deserta est atque sollicitudinum aculeis vexatur. Charisius eam deseruit, item pater iratus paulo ante abiit. quid miserae illi fiet? nam omnia mox palam fieri necesse est. quae secum animo volvens Pamphilia foras progreditur, ut curas aegritudinemque dis commendet (fr. 184 K).

ἐξετύφην μὲν οὖν
κλαίουσα
v. 434 τίς ἂν θεῶν τάλαιναν ἐλεήσειέ με;

Sed Smicrinis et Pamphilae soliloquia non sufficiunt, ut lacuna illa magna inter fr. YR et fr. H^1 expleatur. itaque res quasdam a nobis adhuc neglectas vel praetermissas esse apparet. qua de causa hoc velim tecum reputes, quod iam Robertus tetigit. in fr. H^1 puer ornamenta e collo suspensa gerere videtur et Pamphila περιδέραια sibi nota conspiciens, quae infanti quondam exponendo dederat, stupet. fidicina enim Charisii uxorem interrogat (v. 444):

ὁρᾷς τι φιλτάτη σοι γνώριμον,
ὧν][2] τοὺτ' ἔχει;

constat igitur ornamenta, quae Syriscus uxorque eius adhuc asservabant, tradita esse Abrotono. carbonarius autem ille in urbem abiit (v. 245) et

[1]) cf. v. 462. Onesimus ex Charisii aedibus progressus loquitur:
πρὸς ταῖς θύραις γὰρ ἔνδον ἀρτί[ως πολὺν
χρόνον διακύπτων ἐνδ[ελεχῶς ἐπάλλετο.
(v. 462 supplevit Leo, v. 463 Sudhaus)
colloquio autem auscultato Charisius in cubiculum suum redit (v. 471)
ὡς πάντα διακούσας ἀπῆλθ' εἴσω ποτέ.

[2]) suppl. Leo.

uxorem eius marito absente meretriculae infantis crepundia ultro tradidisse vix probabile est. cum autem Syriscus reditum suum indicaverit (v. 245 sq.), quod non frustra Menandrum commemorare consentaneum est, Robertus (p. 428) recte monuisse mihi videtur Syriscum ipsum ex urbe reversum coram spectatoribus Abrotono ornamenta illa reddidisse. itaque scenarum illarum decursum 150 fere versus comprehendentium hoc fere modo adumbrare possumus:

Smicrines et Charisii sodales colloquium illud (fr. YR) fortasse per nonnullos versus producunt, deinde socer furibundus in Charisii aedes irrumpit, ut cum Pamphila conveniat filiamque secum reducat. Chaerestratum autem
6 (?) Simmiamque adulescentes post Smicrinis abitum in scaena restitisse et de inopinata rerum commutatione verba fecisse suspiceris. iam Syriscum ex urbe rediisse puto; adloquitur, opinor, et salutat Chaerestratum erum[1]) in scaena adhuc adstantem, ad quem propter prandium adhuc aditum non habebat. iam e Charisii aedibus progreditur Abrotonum ornamenta repostulatura. fidicinam autem fortasse Charisius comitatur. Charisio enim auctore et adiutore Abrotonum sperat se ornamentis potiri posse, quae in pueri matre indaganda ei opus sunt, et hac de causa fidicina, si quidem vera est Sudhausii coniectura (l. l. p. 15), in fr. VXM^{r} (v. 400 sq.) ab adulescente postulasse videtur, ut ornamenta sibi utpote infantis matri tradenda curaret; sed tunc Charisius una cum Abrotono convivis ex Chaerestrati aedibus appropinquantibus in aedes suas abire coactus erat. verisimile autem est mulierculam illam intus in aedibus denuo a Charisio pueri patre, petiisse, ut de crepundiis infanti reddendis cogitaret neu matrem ornamentis privaret. nam quod Syrisco negari non poterat in arbitrio illo, id matri ipsi (Abrotono) concedi necesse est. precibus autem fatigatus Charisius Abrotono obsequi potuit et fortasse adulescens ipse cum fidicina foras progreditur, ut a Chaerestrati amici servo ornamenta petat. vides autem, quam bene res conveniant. incidunt enim

[1]) Simmias domum i. e. in urbem abire potuit, nam convivio perturbato Charisii conviva ille non habet, quod in scaena remaneat.

illi in Chaerestratum et Syriscum, qui in scaena versantur. atque Syriscus quidem ornamenta sua sponte et gratuito non tradet, ut e. g. e versu 241 sqq. intellegi potest, sed Chaerestratus adulescens, ut de detrimento illum solaretur, carbonario suo polliceri potuit se aliquantulum tributi remissurum esse atque Chaerestrato ero promittente, iubente, minante carbonarius cum Abrotono in Chaerestrati aedes discedere potuit, ut infantem et ornamenta, quae servat uxor, Abrotono tamquam matri traderet. restant autem in scaena Charisius et Chaerestratus amici et nescio an illorum colloquio fragmenta 176K et 179K adiudicanda sint. ille enim, qui in fr. 176 loquitur, dicit nil turpius esse quam irrideri, dolere autem humanum:

ἐλευθέρῳ τὸ καταγελᾶσθαι ⟨γὰρ⟩ πολὺ
αἴσχιστόν ἐστι, τὸ δ' ὀδυνᾶσθ' ἀνθρώπινον[1]).

irrisus autem est Charisius, qui spurii filii pater inventus brevi ante amicorum irrisionem iocosque evitare studuerat. quae cum ita sint, nonne verba illa optime quadrant ad Charisium eiusque fortunam? sin autem Charisius, quae animum vexant, Chaerestrato sodali patefacit, nonne adulescens ille Charisium amicum vicinumque consolatus et adhortatus respondere potuit (p. 179):

οὐθὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ[2]).

Praeterea probabilissimum est Chaerestratum, si re vera amici in scaenis illis amissis collocuti sunt, de colloquio cum Smicrine habita (fr. Y R) Charisium sodalem certiorem fecisse atque in primis amico rettulisse, quid Smicrines socer facere in animo haberet quantumque periculum ab illo impenderet. Charisius enim simul quidem cum Smicrine in scaena versatus est (v. 390—406), sed tum adulescens socerum auscultantem non animadverterat; paulo

[1]) Stob. flor. 89, 5. *Μενάνδρου Ἐπιτρέποντος. γάρ* inser. Hen. *αἴσχιον* libri. corr. Heringa.

[2]) Or. Anthol. 7, 8 *ἐκ τοῦ Γεωργοῦ,* sed margini ab eadem manu ascriptum *ἐκ τῶν ἀποτρεπόντων.* omisso fabulae nomine Stob. flor. 108, 57. Plut. de tranquill. 17, 475 C.

autem post Charisius in aedes suas abierat (v. 406). itaque Charisius neque scire potest sodales cum Smicrine collocutos esse neque novit socerum constituisse filiam secum reducere dotemque repostulare. quo nuntio audito ille attonitus extemplo in aedes suas, in quas Smicrines brevi ante ad filiam abierat, redire potuit, ut illorum conventum auscultaret, finemque longi colloquii audivit. hic autem tertius actus finiri mihi videtur.

IV.

1 (?) Quartus quem ponimus actus initium cepisse mihi videtur a Smicrinis soliloquio Pamphilaeque lamentatione (cf. supra p. 61).

2 Pamphila autem ante patris aedes astante et calamitatem secum conquerente progreditur Abrotonum (v. 432). Abrotonum enim, quae sub finem tertii actus cum Syrisco, ut videtur, intro discesserat, interea a carbonario infantem et ornamenta accepit. itaque fidicina e aedibus prodit Chaerestrati et puerum vagientem permulcens ad Charisium reditura est, cum subito Pamphilam animadvertit; sed etiam Pamphila, quae secum locuta infantis vagitu exterrita est, mulierem ignotam conspexit et in Smicrinis aedes abitura est (cf. v. 436). Abrotonum autem anteveniens eam adloquitur, nam simulatque Pamphilam contuita est, agnoscit eam, quam Tauropoliis vidit. inter loquendum autem Pamphila pueri ornamenta sibi nota conspicit et sciscitando non Abrotonum infantem peperisse, sed se ipsam matrem et Charisium maritum infantis patrem esse comperit. Charisii autem ianua crepitante Pamphila fidicina monente Abrotonum ad se recipit, ut accuratius singula sibi enarret. (v. 432—456.)

3 Interim ex Charisii ianua Onesimus timidus ac tremens se proripuit atque ille anxius refert, quomodo erus intus se gerat: Charisium insanire. erum soceri et uxoris colloquium captasse, subito autem uxoris verbis auditis animum eius

plane esse commutatum; iam enim illum furibundum vehementissime in se ipsum invehi. itaque tantam eri insaniam veritum domo sese subduxisse, ne intus Charisio furenti obviam fieret. (v. 456—486.)

Iamque erus ipse apparet[1]) et Charisii ipsius verbis ea, 4
quae Onesimus de eri commutatione rettulit, confirmantur. adulescens colloquio auscultato uxoris mores, verum amorem, indulgentiam penitus perspexit atque eum recordatum, quot conviciis fidelem uxorem obruerit, quam inclementer severeque ipse de miserae illius delicto iudicaverit, sed quam benigne Pamphila fidem erga asperum maritum praestiterit, superbiae valde paenitet et atrocitatem suam acerrime castigat. (v. 487—501.) neque hoc Charisii soliloquium ad finem usque servatum est cogitarique potest adulescentem per nonnullos versus sermonem produxisse, finitur autem Abrotoni adventu.

Meretricula enim, postquam Pamphilae omnia intus 5
enarravit, e Smicrinis aedibus progreditur (fr. U_2) atque cum Sudhausius[2]) de huius scaenae argumento bene meritus in v. 501_6 verba

πε]ϱιδ[έϱ]αι' ἔ[χει]ς

dispexerit, apertum est Abrotonum gestare in manibus puerum, cuius de collo pendent *πεϱιδέϱαια* illa, quae Pamphila infanti olim destinaverat. Charisius autem, ut primum uxoris ornamenta agnovit[3]), extemplo in fidicinam invadit atque exspectatione vexatus, sicut brevi ante Pamphila (v. 443 sqq.), interrogando singula Abrotono extorquet[3]),

[1]) cum Charisius ex eadem ianua, per quam paulo ante Onesimus progressus est, se proripiat, servo desperato reditus in aedes praecisus est. Onesimum autem in scaena remansisse vix crediderim. veri esse similius mihi videtur servum metu debilitatum, dum erus progreditur, in angulum se compingere, ne ille se conspiciat, deinde Charisio secum loquente illum salutem fuga petentem caute furtimque intro a postica parte subrepsisse.

[2]) cf. l. l. p. 14 sq.

[3]) eandem rationem et in matre indaganda (v. 443 sq.) et in Charisio infantis patre coarguendo adhibuit muliercula illa astutissima. confer enim Abrotoni verba (v. 303 sqq.):

denique puerum illum esse suum legitimum filium e Pamphila uxore natum comperit (v. 501_1—510) summoque gaudio elatus, quod contra opinionem omnia sibi secunda evenissent, nulla mora interposita in Smicrinis aedes, in quibus commoratur Pamphila, irrupisse mihi videtur illamque ad se reducit eadem qua discesserat via[1]. postquam autem infantis parentes reperti sunt et maritus ad uxorem rediit, comoedia ad summum fastigium est evecta. praeterea in fragmento Q_1 fabula tantum processit, ut Onesimus manumittatur. itaque post fragmentum Q_2 (v. 510) actum finiri et fragmenta U_1 et Q_1, quae sequuntur, quinti actus initio esse tribuenda paene certum est[2].

V.

Quinti actus initium perobscurum est. magna enim detrimenta facta sunt et fragmenta U_1 et Q_1 quae exstant misere lacerata difficultates praebent maximas. servata autem sunt frustula illa hoc modo:

U_1 510_1 ἐπαρχο̣ — — — — — — — — — — — — —
ὄντως αβ̣ — — — — — — — — — — — —
ἀλλ' ἐξαπατ — — — — — — — — — — — —
Ον.| ἀπέσωσε συμ̣ — — — — — — — — — — —
510_5 ἔγωγε̣ προσ — — — — — — — — — — — —
. . αν̣ — — — — — — — — — — — — —

ἐὰν δ' οἰκεῖον ᾖ
αὐτῷ τὸ πρᾶγμ', ⟨εἶτ'⟩ εὐθὺς ἥξει φερόμενος
ἐπὶ τὸν ἔλεγχον καὶ μεθύων γε νῦν ἐρεῖ
πρότερος ἅπαντα καὶ προπετῶς. ἃ δ' ἂν λέγῃ,
προσομολογήσω τοῦ διαμαρτεῖν μηδὲ ἓν
προτέρα λέγουσ'.

[1]) singula de hac re vide infra p. 68.

[2]) Cf. Robert, l. l. p. 430. Sudhaus, l. l. p. 27.

510_2. *Ἀβρότονον* Lef. **510_3.** *ἐξαπατῶσα* Lef. **510_4.** *συμμαχοῦσα* Lef. *ἐμοί* Koert.

Q_1 — — — — *νωκ* — — — — — — — — —
(*Ον.*) *Χ[αι]ρ[έστρ]ατ᾽, ἥδε τὸ μετὰ τα[ῦτα φροντιεῖ*
ὅπως [δια]μενεῖς ὢν Χαρισίῳ [φίλος,
οἷός ποτ᾽ ἦσθα πιστός. οὐ γάρ ἐσ[τ᾽ ἄφρον
ἑταιρίδιον τοῦτ᾽, οὐδὲ τὸ τυχὸν . . . .
σπουδῇ δὲ καὶ παιδάριον ἤδ᾽ ἔ[σωσε νῦν.
ἐλεύθερος, πάξ· μὴ βλέπ᾽ εἰς [τἄμπροσθ᾽ ἔτι.
καὶ πρῶτον αὐτὴν κατὰ μόν[ας πρέπει σε νῦν
τὸν φίλτατον καὶ τὸν γλυκύτατ[ον θυγατριδοῦν
[ἔνδον προσειπεῖν.

Onesimi nomen in margine (U_1 v. 510_4) apparet et servus ille quin in fragmento Q_1 (v. 517) verba *ἐλεύθερος, πάξ* loquatur, dubitari non potest. praeterea in v. 518 satis certe dispicitur *αυτην,* quo e vocabulo elucet adesse mulierem vel Pamphilam vel Sophronam. Pamphilam autem, postquam cum Abrotono intro discessit (v. 456), omnino non in scaenam prodisse crediderim; ergo Sophronam adesse id quod suspicatur Sudhausius[1]), certum esse mihi videtur. Abrotonum vero, cuius nomen in v. 510_2 fortasse recte supplevit Lefebvre, num in scaena adsit, incertum est. Onesimus autem in fragmento U_1 cum Sophrona collocutus referre videtur, quomodo fidicina infantis parentes indagaverit. agitur enim in illorum sermone, ni frustulis illis fallimur, de Abrotoni dolo (v. 510_4 *ἀλλ᾽ ἐξαπατ[ῶσα* Lef.) et Onesimus sua quoque de infante merita praedicare videtur 510_4

Ον.| *ἀπέσωσε συμ[μαχοῦσ᾽ ἐμοὶ* Lef. K.
ἔγωγε προς — — — — — —

512. v. 512—519 inter Chaerestratum et Onesimum distribuit Koertius, Sudhausius omnes versus continuat Onesimo. *ἡ δέ* Sud. *μετὰ ταῦτα* Lef. *διαμενεῖς ὢν* olim Sud. *φίλος* Ar. Ell. *τόδε* Sud. *πάνυ* Koerte. *τὸ πᾶν* Leo. **514.** *ποτ᾽ οισθα* pap. teste Jenseno, *ἦσθα* Ar. *ἄφρον* Koert. *ὑβρόν* Ar. *ἔστ᾽ ἔτι* Sud. **515.** *ἐπλάσατο* Koert. **516.** suppl. Sud. *ἤδ᾽ ἐγνώρισεν* Hen. *ἐξεῦρε νῦν* Jen. **517.** continuat Onesimo Koertius. *μὴ βλέπ᾽ εἰς* legit Jensen. suppl. Sud. **518.** *αυτην* pap. *κατὰ μόνας* Ar. Croe. Hen. *πρέπει με νῦν* Sud. *ὁρᾶν* Koert. *βλέπειν θέλω* Croe. **519.** suppl. Sud.

[1]) cf. l. l. p. 27.

quoniam autem nulla in fr. Q_1 paragraphus apparet, in his omnibus Onesimus iam fortuna elatus superbiensque Chaerestrato Sophronaeque mandata dare deque officio monere videtur. hic ille est Onesimus, qui etiam senem ultima scaena cavillatur. sic enim locum difficilem intellegi posse persuasit mihi Sudhausius.

Post v. 519 fragmentum Q_1 abrumpitur et 70 fere versus desunt, deinde sequitur fragmentum H^3. sed fortasse haec illa supplere divinando possumus. Smicrines enim filiam colloquio illo habito in suas aedes traduxerat et Pamphila per quartum actum in patris aedibus commorabatur. in ultima autem fabulae scaena Smicrines sua domo egressus ad generi aedes profectus Charisii ianuam pultat, ut filiam dotemque reposcat (v. 539). itaque Pamphilam in aedes mariti redisse apparet, id quod Smicrinis verbis (v. 542)

τὸ δ' ἅρπασμ', Ἡράκλεις,
θαυμαστὸν οἷον

significari Leo primus monuit. sed Pamphilam in scaenam esse progressam et Charisium uxorem coram spectatoribus ex Smicrinis aedibus ad se reduxisse non probabile videtur; per hortum potius Pamphilam a marito, qui sub finem quarti actus in soceri aedes ad uxorem invaserat, esse traductam putaverim. Charisius autem, sicut Pamphilus adulescens in Hecyrae ultima scaena (v. 841 sqq.), primo impetu gaudentium intus sedato foras progredi et summo gaudio affectus, quod prospere feliciterque omnia sibi evenissent, pauca verba facere potuit.

Sed quis in primis illis versibus paginae H^3 (v. 520 sq.) loquitur?

σώφρονα· τοιαυτησὶ γὰρ οὐκ ἀπέσχετ' ἂν
ἐκεῖνος, εὖ τοῦτ' οἶδ', ἐγὼ δ' ἀφέξομαι;

‚tali muliere i. e. Abrotono (sc. si illam novisset) ille i. e. Charisius non abstinuisset, id certum habeo; ego autem abstinebo?‘ Onesimus verba illa facere vix potest, sed ad Chaerestratum adulescentem Charisiique sodalem verba

egregie quadrare mihi videntur. iocose enim et cum amico se conferens dicit: ille ego homo levis severum illum et honestum virtute et abstinentia anteibo? Chaerestratus igitur re vera amore Abrotoni fidicinae inflammatus est. vide autem, quam bene id cum Chaerestrati personae moribus conveniat, quales Menander in comoediis fingere solebat. nam eum, cui in fabulis Menandreis nomen est Chaerestratus, fidicinam amare Humpers[1]) monuit Choricii verba afferens ex apologia illa mimorum[2]): *καὶ τῶν Μενάνδρου πεποιημένων προσώπων Μοσχίων μὲν ἡμᾶς παρεσκεύασε παρθένους βιάζεσθαι, Χαιρέστρατος δὲ ψαλτρίας ἐρᾶν.*

In ultima autem fabulae scaena progreditur Smicrines tamquam furiis actus. senem enim, qui fortasse in urbem rediturus erat, Sophrona arcessivisse[3]) videtur et illa Smicrini rettulit Charisium Pamphilam in aedes suas reduxisse (cf. v. 542), sed plura proferre non potuit; nam senex hoc nuntio admodum iratus primaque statim verba Sophronae praecidens mulierem identidem increpat. itaque ille prosperum rerum eventum adhuc ignorans Charisii fores vehementer pultat, ut filiam dotemque reposcat. aperit autem ostium Onesimus et novus ille libertus non sine insolentia quadam socerum tumultuantem lepide ac facete philosophorum praeceptis irridet. denique Smicrinem admonet, ut nepotem intus salutet, sicut in fr. Q_1 monuerat Sophronam, atque socero stupefacto et Sophrona rem confirmante explicat Charisium cum Pamphila in gratiam redisse infantemque repertum e filia esse ortum (v. 522—591).

[1]) cf. l. l. p. 358: ‚nous revenons donc à la juste remarque de Choricios. de sorte que si Chaerestratus joue dans l'Arbitrage un rôle, il doit *ψαλτρίας ἐρᾶν*, être l'amant d'une joueuse de flûte. ce qui est impossible ici.' Humpers enim, cum illo tempore Chaerestrati nomen in fr. Y^r R^v (v. 427) agnitum non esset et versus illi (v. 520 sq.) eum effugisse videantur, negavit Chaerestratum ipsum in scaenam progressum in hac Menandri fabula partes egisse.

[2]) cf. C. Graux, Revue de philol. N. S. 1877.

[3]) cf. Sudhaus, l. l. p. 27 sqq.

Iam ad finem pervenimus. Et quamquam me non omnes difficultates solvisse scio, tamen, si hanc quam proposui fuisse fabulae structuram concedes rerumque conexum, haec duo vel tria effici videntur, primum ut fragmentum Petropolitanum ab Epitrepontibus non seiungamus nec *δρᾶμα διεσκευασμένον* alteram utram fabulam fuisse putemus, sed clarissimae comoediae duo ad nos usque pervenisse exemplaria, ut Circumtonsae quattuor[1]). deinde si prandium illud in Chaerestrati ‚familiaris et vicini proximi‘ aedibus datum esse conicimus scaenasque insequentes ut fecimus disponimus, gravissima illa argumenta ex vocibus *ἐπεισάγει* (v. 430) et *ἅρπασμα* (v. 542) repetita redargui posse puto atque gaudeo, quod in hac re, in qua ab Sudhausii explicatione secessi, iam hunc adsentientem et probantem habeo.

[1]) ac per se probabile notissimae cuiusque fabulae reliquias ad lucem prodituras esse.

Appendix.

De Menandri Phasmate.

Fragmentorum Petropolitanorum primam schedam continere versus e Menandri Phasmate desumptos Jernstedtius primus agnovit. huius quoque chartae litterae clare pulchreque exaratae et eodem atramento atque litterae chartae II et III scriptae sunt. correcturae ab altera manu additae nusquam inveniuntur. in folio I^r (v. 26—52) margo relictus angustus est, sed neque paragraphi neque personarum nomina exstant. novi autem sermonis initium indicatur puncto atque spatio inter verba utriusque personae relicto (cf. v. 28, 43—45, 49). litteris autem Syriacis, quibus dextra paginae I^r pars rescripta est, ultimae versuum litterae saepe obtectae sunt. in pagina I^v (v. 1—25) quamquam atramentum magnopere detritum et charta nonnullis locis colorata est, tamen omnes fere litterae agnosci possunt. quas plagulas perscrutatus deprehendi haec:

in versus fine (*συλλαμβάνῃς*) litteram ς adhuc dubiam 2
certe legi.

littera *ι* (*φρονεῖν*) paene tota est conspicua. 3

exstat in charta ΜΗΔЄΜΙΑΝ (*μηδεμίαν* Koerte). 7

initio littera Χ, quam iam Jernstedtius notavit, procul 17
dubio scripta est (ΚЄΝ vel ΧЄΝ Koerte).

ante ϹЄΛΘѠΝ frustulum litterae rotundae i. e. Ο ser- 24
vatum est.

in huius versus fine exstat ⌒ЄΟᵛ i. e. ΘЄΟΥ. (ΟϹΟΥ 25
Jernst. ΟϹΟΥ Koerte).

26 huius versus reliquiae supersunt hae:

. *ναι . . ι . . εισι*

versus initio est lacuna duarum litterarum, sed ante AT exstitisse litteram N e chartae fissura elucet. praeterea hastae directae inferior pars dispicitur et lacuna trium fere litterarum interposita apparent litterae dimidiatae huius formae IƲI i. e. *ιοι*, ante quas litteras litteram rotundam C vel Є, non O scriptam esse veri est simillimum.

35 traditus est versus 35 ita:

ΤΗΝΑΙΤΙΑΝΓΝѠϹΗΠΕΡΙΠΑΤЄΙϹΙ

post *περιπατεῖς* directa hasta exarata est, itaque fieri non potest, ut A (Koerte) exstiterit.

39 post *οὐδὲν ἡ* litteram N, quam dubitanter enotavit Koertius, certo agnovi.

43 inter *εὖ ἴσθι* et *μή* spatium permagnum vacat, pro puncto autem positum est signum ˣ.

44 puncti inferioris, quod notavit Koertius, ne vestigium quidem in charta deprehendi potest; servatum est unum.

47 vocis *ἀσθενικόν* litterae quidem AϹ et Є abolitae sunt, sed e membranae fissura formam earum facile agnoscis. (·ϹΘЄΝΙΚΟΝ. Koerte. ΟΘΟΝΙΚΟΝ Jernst.)

quibus praemissis versus illos afferam integros; textum ex Sudhausii plerumque recensione conformatum dedi.

versus 1—24 e fabulae prologo desumpti sunt; quibus in versibus duos daemones alterum cum altero colloqui Koertio persuasum est. contra verba illa continuare uni personae placet Sudhausio. loquitur enim ex illius sententia adulescens, virginis adhuc[1]) sponsus (v. 3), qui arcana domus novit. sed nutrix illa in domo vicina habitans, quam bene induxit Koerte, (13) eum oravit, ut taceret neve aliis — fratri maxime, qui virginem conspexerat, — secretum proderet.

---

[1]) qui *νυμφίον ἑαυτὸν (νομίζει)*, (cf. Per. 239 *γαμετὴν νενόμικα ταύτην*). sed haec incerta sunt. nam possis e. g., ut monet Sudhausius, scribere *ὡσεὶ νομίζων νυμφίον σαυτόν κτλ.*

nutricis autem vel vicinae sermonem adulescens usque ad v. 7 refert et ille quamvis invitus mulieri obsequi constituit (v. 8). deinde ille spectatoribus, quae ad fabulam intellegendam scire opus est, enarrat.

„. . . . . τῶν Διο]νυσίων
. . . . ἐπιτελεῖν συλλαμβάνῃς·
αὐτῆς νομίζω]ν νυμφίον σαυτὸν φρονεῖν
μέμνησο· μὴ τῆ]ς παρθένου τὴν μητέρα
ἀδικῶν σύ γ' ἑτ]έρῳ τοῦθ' ὁμομητρίῳ τινί
φράσῃς ἀδέλφῳ·] μὴ παραδῷς, πρὸς τῶν θεῶν,
πρόφασιν κα[ὶ]ὰ σαυτοῦ μηδεμίαν. οὕτω πόει“
φησίν, ποῶ δὲ τ]οῦτο· τί γὰρ ἄν τις πάθοι;
ἡ δ' οὐχὶ φάσμ'] ἔστ' ἀλλὰ παῖς ἀληθινή,
μητρὸς δ' ἀπαλλα]χθεῖσα τῆς γαμουμένης.
τίκτει γὰρ ἡ] μήτηρ πρὶν ἐλθεῖν ἐνθάδε
ἐκ γείτονος] ταύτην, δίδωσι τ' ἐκτρέφειν
ᾗ καὶ τὸ νῦν σ]ύνεστιν ἐν τῶν γ⟨ε⟩ιτόνων
ἔνδον τρεφομ]ένη καὶ φυλαττομένη κόρη,
ἀνὴρ ὅταν ἔλθῃ] δεῦρο, τὸν δ' ἄλλον χρόνον
ὅτ' οἴχετ' ἀποδημῶ]ν φυλακῆς τ' ἐλάττονος
χρεία 'στιν, ἣν εἴλη]χεν οἰκίαν τότε
εἴωθε μεταβαλεῖν]. τίν' οὖν φαντάζεται
ἡ παῖς τρόπον; τ]οντὶ γὰρ ἔτι ποθεῖτ' ἴσως
ἐμοῦ μαθεῖν. ἔνδ]ον πεπόηκεν ἡ γυνή
διελοῦσα τὸν τοῖχον] διέξοδόν τινα,
οἴκημά τ' ἐστιν, ὥστε] πάντ' ἐπισκοπεῖν

1. suppl. Jernst. **3.—6.** suppl. e. g. Sud. **7.** suppl. Jernst. **8.** suppl. Sud. *εἶεν, ξυναινῶ* Kock. *ποήσω* Koerte. **9.** suppl. Wil. *αληθινηι* memb. **10.** suppl. Sud. ‚a matre, cum nuptura esset, segregata‘. **11.** suppl. Koerte. *ἣν τέτοκεν ἡ* Kock. **12.** suppl. Koerte coll. Don. ad Ter. Eun. prol. 9. **13.** suppl. e. g. Sud. *τίτθῃ* vel *τροφῷ* Koerte. *μεθ' ἧς σύνεστιν* Kock. *γιτονων* memb. **14.** f. *ὑπολαμβανομένη — ἔνδον* Koerte. *τρεφομένη* vel *ἐχομένη* Wil. **15.** *ἀνὴρ ὅταν ἔλθῃ* Kock. **16.** suppl. e. g. Sud. **17.** suppl. e. g. Sudh., idem *χρεία 'στιν, ἣν νῦν ἔλαχεν — ἐδεῖτο* Jernst. **18.** suppl. e. g. Sud. *οἰκοῦσα μεταβάλλει* Kock. **19.** suppl. Sud. *ἐνθάδε τρόπον* Wil. *τὰ νῦν τρόπον* Kock. *ουτειγαρ* memb. **20.** suppl. e. g. Sud. *μαθεῖν σαφέστερον* Jernst. **21.** suppl. Wil. *τρήσασα τὸν τοῖχον* dub. Koerte. **22.** suppl. e. g. Sud.

ἐκεῖθεν, ἔνδον δ' εὖ κε]κάλυπται ταινίαις,
μὴ τὴν συνουσίαν ὁ πρ]οσελθὼν καταμάθῃ.
ἔστιν δὲ καὶ βωμός] τις ἔνδον τῆς θεοῦ

versus fere 10 deesse verisimile est.

(R.) *.[ν]ατ . . ι . . εισι . . . .*
(Π.) πῶς εἰσιν οἱ πυροὶ [παρ' ἡμῖν ὤνιοι;
(Φ.) τί δὲ σοὶ μέλει τοῦτ'; (Π.) οὐθέν· [ἀλλὰ βούλομαι
εἰς τὴν ἀλήθειαν καταχρήσα[σθ' εἰκόνι.
ἂν τίμιος, δακέτω σ' ὑπὲρ ἐμ[οῦ τοῦ σφόδρα
πένητος. αἰσθοῦ σαυτὸν ὄντ' [εὐδαίμονα
ἄνθρωπον, ἄνθρωπον δὲ καὶ [τὸν ἐνδεῆ,
ἵνα μὴ 'πιθυμῇς τῶν ὑπὲρ σ[αυτόν ποτε.
ὅταν δ' ἀγρυπνεῖν εἴπῃς, τίς ὁ [βίος σου σκοπῶν
τὴν αἰτίαν γνώσει· περιπατεῖς [μετὰ φίλων,
εἰσῆλθες εὐθύς, ἂν κοπιάσῃς τ[ὰ σκέλη·
μαλακῶς ἐλούσω, πάλιν ἀναστ[ὰς ἐνέφαγες
πρὸς ἡδονήν. ὕπνος αὐτὸς ὁ βί[ος ἐστί σου.
τὸ πέρας· κακὸν ἔχεις οὐδέν, ἡ ν[όσος δέ σου
ἔσθ' ἣν διῆλθες — φορτικώτερο[ν δέ τι
ἐπέρχεταί μοι, τρόφιμε, συγγνώ[μην ἔχε —
τὸ δὴ λεγόμενον οὐκ ἔχεις ὅπο[ι χέσῃς
ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν, εὖ ἴσθι. (Φ.) μὴ ὥ[ρας σύ γε
ἵκοιο. (Π.) τἀληθῆ λέγω, νὴ τοὺς θε[ούς,

---

23. suppl. e. g. Sud. *κεκάλυπται* Jernst. *τὸ δὲ διάφραγμα συγκεκάλυπται* Kock. **24.** suppl. e. g. Sud. *ἵνα μὴ περίεργός τις* Koerte. bene sententiam tangens, sed desideras obiectum. *προσελθών* Jernst. **25**. suppl. Koerte. **27.** *παρ' ἡμῖν ὤνιοι* Cob. *κατ' ἀγορὰν ὤνιοι* Gom. Wil. **28.** *δεσοι* memb. *δ' ἐμοί* Wil. *ἀλλ' ἔα με νῦν* e. g. Sud. *ἀλλὰ τῷ λόγῳ* Koerte. *ἀλλὰ κολλαβῷ* Wil. **29.** *εικόνι* Sud. (cf. Plat. Conviv. **215 a** *ἔσται δ' ἡ εἰκὼν τοῦ ἀληθοῦς ἕνεκα*). *καταχρήσασθαι δοκῶ* Koerte. **30.** *τείμιος* memb. *τίμιος* sc. *ὁ σῖτος* Sud. *τίμιοι* Wil. *ἐμοῦ τοῦ σφόδρα* Cob. *ἐμοῦ τοῦτο τοῦ* Wil. **31.** *οντα* mem. *εὐδαίμονα* van Leeuwen *Φειδία* Cob. **32.** suppl. Sud. *τὸν ἄθλιον* Kock. **33.** suppl. Sud. *σε πραγμάτων* Wil. *σαυτὸν πάνυ* Cob. **34.** suppl. Koerte. **35.** *γνωσηπεριπατεισι* memb., suppl. e. g. — *περιπατεῖς ἡδέως* Cob. **36.** suppl. Cob. **37.** suppl. Wil. *ἀναστὰς ἐσθίεις* Leeuw. **38.** *βίος ἐστί σοι* Weil. *σου* Koerte. **39.** suppl. Wil. **40.—41.** suppl. Cob. **42.** suppl. Cob. coll. Marc. Ant. V 12. **43.** suppl. Koerte (cf. Peric. v. 131). **44.** suppl. Cob.

τοῦτ' ἔστι τἀρρώστημα. (Φ.) καὶ μὴ[ν ἀσθενῶ,
ἀτόπως ἐμαυτοῦ καὶ βαρέως [ἔχων σφόδρα.
(Π). ἀσθενικόν ἐστι τἀνόητο[ν πανταχοῦ.
(Φ.) ε]ἶεν· πάνυ γὰρ ταυτὶ λελο[γίσθω κατὰ τρόπον·
τί] μοι παραινεῖς; (Π.) ὅτι παρ[αινῶ σοί; τί γάρ;
εἰ] μέν τι κακὸν ἀληθὲς [εἶχες, Φειδία,
ζητε]ῖν ἀληθὲς φάρμα[κον τούτου σ' ἔδει·
νῦν δ' οὐκ ἔχ]ε[ις·] κενὸ[ν εὑρὲ καὶ τὸ φάρμακον
πρὸς τὸ κενόν, οἰήθητι δ' ὠφελεῖν τί σε.
περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ
καὶ περιθεωσάτωσαν. ἀπὸ κρουνῶν τριῶν
ὕδατι περίρραν' ἐμβαλὼν ἅλας, φακούς.]

---

45. *αρωστημα* memb., suppl. Sud. *ὦ τάλαν* Koerte. *ὦγαθέ* Cob. *νὴ Δία* Fritzsche. **46.** suppl. Sud. *ἔχω πάνυ* Cob. **47.** suppl. Sud. *κἀκρατές* Wil. **48.** *ταυτει* memb., suppl. Sud. *λελογίσθαι μοι δοκεῖς* Koerte. *λελογισμένος λέγεις* Wil. **49.** suppl. Sud. *παραινῶ; πρόσεχε δή* Weil. *παραινῶ; τοῦτ' ἐρῶ* Cob. **50** sqq. suppl. Cob. ex Clem. Alex. Strom. VII 4, 27, p. 844 Pott; de singulis cf. Koertium.

Vita.

Natus sum Johannes Carolus Ernestus Hutloff ante diem XIII. Kalendas Apriles anni 1889 Francofurti ad Viadrum patre Carolo matre Helena e gente Nettelbeck, quos ambos adhuc esse superstites gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. litterarum elementis imbutus et scholam oppiduli Hannoverani, cui nomen est Nordhorn, et gymnasium Pommeranorum oppidi, quod est Schlawe, et Francofurti ad Viadrum gymnasium regium Fridericianum frequentavi. vere anni h. s. septimi maturitatis testimonio instructus Kiliam Holsatorum petivi atque studiis maxime philologicis et germanicis operam navare coepi, deinde civis fui universitatis litterarum Monacensis per duo semestria, Berolinensis per unum semestre, unde abhinc quadriennium Kiliam redii, ut studia ad finem usque perducerem. docuerunt me Monaci viri illustrissimi doctissimique v. Aster, Borinski, Burger, Crusius, Drerup, Geiger, v. d. Leyen, Otto, Paul, Rehm, Vollmer; Berolini Helm, Norden, Preuner, Roediger, Roethe, E. Schmidt †, Wenzel, v. Wilamowitz-Moellendorff; Kiliae Baumgarten, Bickel, Deussen, Eckert, Gering, Jacoby, Kaufmann, Kauffmann, Leipold, Mayer-Reinach, Neumann, Sauer, Sudhaus. seminarii philologici Kiliensis sodalis fui per duo semestria auspiciis Sudhausii et Jacobii. praeterea ad seminaria exercitationesque me admiserunt Crusius, Vollmer, v. Wilamowitz-Moellendorff, Bickel, v. d. Leyen, Paul, Roethe, Gering, Kauffmann, Deussen, Leipold. aestate h. a. benignitate atque liberalitate curatorum legati Schassiani Kiliensis occasio Petropolim proficiscendi mihi data est, ubi in bibliotheca imperiali fragmenta Petropolitana denuo perlustravi.

Omnibus meis magistris gratias ago maximas, praecipue vero Sigfrido Sudhausio, qui in hac disputatiuncula perficienda omni tempore benigne ac benevolentissime opera et consilio me adiuvit, gratum semper habebo animum.